WARSAVIA
PHYSICE ILLUSTRATA,
SIVE DE
AERE, AQVIS, LOCIS
ET
INCOLIS WARSAVIÆ,
EORUNDEMQUE
MORIBUS ET MORBIS
TRACTATUS.
CUI ANNEXUM EST
VIRIDARIUM,
VEL
CATALOGUS PLANTARUM
CIRCA WARSAVIAM NASCENTIUM.

AUTORE
CHRISTIANO HENRICO ERNDTELIO,
PHIL. ET MEDIC. DOCTORE,
SAC. REGIÆ MAJ. POLON. ET ELECTOR. SAXON. ARCHIATRO,
ET NAT. CURIOS. GERMANIÆ COLLEGA.

DRESDÆ,
Apud JOH. CHRISTOPH. ZIMMERMANNI HÆRED. & JOH.
NICOL. GERLACHIUM. MDCCXXX.

SACRÆ REGIÆ
MAJESTATI,
POTENTISSIMO AC SERENISSIMO
PRINCIPI DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO
AUGUSTO,
REGI POLONIARUM,

MAGNO DUCI LITHUANIÆ, RUSSIÆ, PRUSSIÆ,
MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, KIOVIÆ, VOLHINIÆ,
PODOLIÆ, PODLACHIÆ, LIVONIÆ,
SMOLENSKIÆ, SEVERIÆ AC
ZERNICHOVIÆ, &c.

DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGRIÆ ET WESTPHALIÆ, S. R. IMPERII ARCHIMARESCHALLO ET ELECTORI, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, AC SUPERIORIS PARITER ET INFERIORIS LUSATIÆ, BURGGRAVIO MAGDEBURGI, COMITI PRINCIPATO HENNEBERGICO, COMITI MARCÆ, RAVENSBERGI, ET BARBYÆ, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN, &c. &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

Serenisſime & Potentisſime Rex,

Domine Clementisſime.

WArſaviam Illuſtratam a nemine unquam publicatam, dum primus in lucem edo, Sacræ Tuæ Regiæ Majeſtati, Rex Auguſtiſſime, quam humillime offero. Nec verendum mihi eſſe exiſtimo, ne ingratum

tum forte quid Sacræ Tuæ Majeſtati adferam, cum ipſum opuſculi argumentum fiduciam maximam ſubminiſtraverit. Cujus enim præſidio magis muniendum erat hoc ipſum Urbis Regiæ monumentum, quam illius, qui non dicam hanc, ſed totam Sarmatiam Numine ac Majeſtate implet ac feliciſſime gubernat. Crevit in tantum ſub auſpicatiſſimo TUO Imperio Warſaviæ ſplendor & decus, ut qui ante triginta & quod excurrit, annos, hanc magnam partem ligneam, jam marmoream fere totam videat & admiretur. Præſertim autem a quindecim hinc annis quibus pacem & tranquillitatem, nunquam antea adeo firmam, ſtabilem ac felicem, Regnis Tuis, Rex Auguſtiſſime, reddidiſti, mirum qvantum aucta fuit Regiæ Tuæ Sedis Magnificentia. Teſtes immortales erunt ſtupendæ illæ moles & ædificia, qvæ, Palatium & HortumRegium ſuburbanum amplificando, erexiſti, non aliena, ſed propria cura & diſpoſitione, qva factum fuit, ut ſex menſium ſpatio abſoluta fuerint monumenta & opera, qvæ alias vix totidem annis finirentur. Taceo alia Senatorum Regni & Magnatum Palatia noviter erecta, Regis ad exemplum ſplendidiſſime extructa, qvalia Warſavia ante Tua Tempora, Rex Auguſtiſſime, tanto numero nunqvam vidit: ut de Templis & ædificiis ſacris ſub Auguſtiſſimo Regimine Tuo, vel noviter itidem extructis, vel egregie ac ſplendidè reſtauratis

ratis ad S. Spiritum, S. Crucis, P. P. Franciſcanorum, Viſitationis B. Virginis Deiparæ, F. F. Miſericordiæ exemplo, nihil jam adducam. Hanc igitur urbem tanto ſplendore ſub Auſpiciis Tuis, Rex Sereniſſime, auctam, illuſtrare volui meis obſervationibus, non qvidem qvoad ædificia & monumenta jam recenſita, vel Politicum ſtatum, ſed ſaltem cives qvod attinet & incolas, eorumqve & advenarum ſalutem & incolumitatem, qvorum numerus ab his triginta annis eò majus ſumpſit incrementum, qvo felicius regnante Sacra Tua Majeſtate, ſtatus Politicus æqve atqve commercia floruerunt. Induxit me ad hos ipſos auſus, & cognitio, qvam de Warſaviæ conſtitutione atque ipſius ſolo, aëre & aqvis comparavi mihi per quatuor fere luſtra, præcipuè autem obligatio illa, qua Majeſtati Tuæ Auguſtiſſimæ, non ut civis ſaltem & ſubditus, ſed & uti Stipendiarius ſum devotus. Nam per viginti annos continuos, non ſolum in Aula Tua Regia Medici Ordinarii officium feci, ſed nuperrime etiam pro immenſa Tua Clementia, Rex Potentiſſime, tenuitatem meam inſuper Archiatrorum Comitiva ornaſti: qvam multiplicem Clementiæ Tuæ Auguſtæ, gratiam non poſſum non publica & devotiſſima gratiarum actione venerari, depoſito ſimul ad Majeſtatis Tuæ pedes hoc ipſo monumen-

men-

mento, qvo Aërem Aqvas, & Loca Warſaviæ explicare conatus fui. Annexo autem pio voto, ut diu adhuc aura Regiæ Tuæ Sedis, ſaluberrima & purisſima gaudere, ſimulqve Regnorum Tuorum & Populorum vota adimplere posſis, qvæ Tibi, Rex Sereniſſime, longæviora Sigismundorum & ſplendidiora ac feliciora Caſimiriorum, Anteceſſorum Tuorum fata devotisſime & ardentisſimè apprecantur.

Servet Deus O. M. Te, Auguſtiſſime Rex, pacate regnantem, & valetudine nullis morborum procellis afflicta diutisſimè gaudentem! Conſervet Regiam Sobolem & Gentem univerſam, ſubjectorum populorum ſpem atqve præſidium, qvorum piis deſideriis preces & vota ſubmiſſe ſociare nunqvam ceſſabit

Regiæ Tuæ Majeſtatis,

Rex Potentisſime,

devotiſſimus Servus,

Chriſtianus Henricus Erndtel.

Q. D. B. V.

NOn vilipendendum de Chorographia Medica adornanda apud GEORG. BAGLIVUM Medicum Philoſophum, & Practicum proximè elapſi ſeculi præcipuum & ſine pari, invenimus monitum, omnibus Artem Aſclepiadeam profitentibus magnoperè commendandum, dum *Praxeos Libro I. capite XV. hortamur*, inquit, *ſingulos Medicos, ut per diuturnam obſervationem patefaciant Medendi Methodum Popularibus ſuis præ cæteris opportunam, nec non remediorum genera iisdem vel familiaria vel noxia. -- Præcipua argumenta, quibus hæc cujuslibet regionis hiſtoria complectenda erit, eſſe debent de Aëre, Aquis & Locis: ad Orientem vel Occidentem aliasve cœli plagas ſitu: de plantis & animalibus in patrio ſolo præcipuè provenientibus, nec non de mineralibus aliisque telluris effectibus: porro de Moribus & Temperamentis incolarum, & Morbis iisdem familiaribus, Medendique Methodo: de Medicina indigena ſeu de medicamentis in patrio ſolo naſcentibus, de variis & præcipuis tempeſtatum influentiis, aliisque ſexcentis, per quæ morborum origines tum foventur, tum curantur.* Et hæc quidem parænesis eo quidem magis mihi viſa fuit attendenda, quo antiquiorem ejus poſtea inveni eſſe originem. *Herodoto* enim jam, *Hippocrate*, *Galeno*, *Celſo* aliisque hoc inſtitutum placuit, dum plenis, quod dicitur, buccis idem in ſcriptis ſuis commendarunt. Quid enim inter alia clarius eſſe poſſet illo *Hippocratis* loco, ubi *I. de Aëre, Aquis & Locis Libro*, ejusdem rei Medicos genuinos ad-

monet

monet sequentibus: *Quicunque Artem Medicam integre assequi volet, hæc faciat oportet. Primo quidem temporum anni rationem habeat, quid unumquodque illorum possit. Nulla enim in re similia sunt, sed multum differunt, tum ipsa ad invicem, tum in propriis permutationibus. Deinde etiam Ventos calidos & frigidos, maxime quidem omnibus hominibus communes, mox autem eos, qui unicuique regioni sunt peculiares. Aquarum item facultates examinare convenit; Quemadmodum enim gustu differunt & pondere, sic quoque virtute aliæ aliis longe præstant. Quare si quis ad urbem sibi incognitam perveniat, circumspicere oportet ejus situm, quomodo scilicet ad Ventos & Solis exortus jaceat: non enim idem potest, si ad Boream jaceat, & si ad Austrum; neque si ad solis exortum, neque si ad occasum. Et hæc quidem diligenter oportet perscrutari, tum quomodo in aquis se habeat: utrum palustribus utatur & mollibus, an duris: sive ex sublimi, sive ex saxoso loco scaturientibus: salsis, item crudisve. Terra etiam ipsa consideranda, nudane sit & aquis carens, an densa & aquosa: item an concava & æstuosa, an alta & frigida. Hominum insuper Victus ratio perquirenda, an bibaces sint, an lurcones & otio dediti, an vero exercitiis corporis & laboribus aliis studeant, & edaces & vini temperantes &c.* *Celsus* autem *in Præfatione Libri de Medicina* hæc omnia compendiose profert & ad Praxin Medicam specialius applicans, ait, *differre pro natura locorum genera Medicinæ, & aliud opus esse Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Galliis* &c. Quibus monitis inductus postea doctissimus Germanorum Polyhistor & Medicus *G. H. Velschius* etiam *in Somnio Vindiciani* sub Æsculapii nomine, universis Medicam Artem professis, *puncto XIV. Medicinæ Desideratorum* Chorographiam Medicinalem serio commendat. Paucos autem invenies inter Autores, quibus Parænesis hæc curæ cordique fuit: paucissimos, qui rem ipsam aggressi fuerint. Et, quod mirum, de integris regionibus, præcipue autem exteris, qui scripserint hunc in modum invenies quidem aliquot, *Prosp. Alpini, Jacobi Bontii, Guil. Pisonis, Andr. Cleyeri, Wilh. ten Rhyne, Eng. Kempferi* exemplo, quorum scripta de Ægypto, India Orient. & Occident. Persia & China ad nos pervenerunt; de Europæis regionibus Dania, Belgio & Helvetia, *Th. Bartholinus, Joh. Beverovicius* & *J. C. Derebeque*, ast incidenter saltem, quatenus de Medicamentis indigenis præcipue tractarunt, suos edidere commentarios: de Aëre sigillatim

Roma-

Romano, *Mercurialem*, & *Petronium*, qui proprie quidem de Victu Romanorum, in specie autem, *J. M. Lancisium*, & de Aëre Hafniensi *Erasmum Bartholinum* habemus; *Jodoc. Lommius* Bruxellarum, *P. Hœchsteterus* Augustæ Vindelicorum dederunt topographiam. Ast, si solum *Lancisium* excipias, nullus fere ex his omnibus, ad illum, quo ab *Hippocrate* propositum fuit modum, hanc materiam tractavit. Quam ob rem ego tandem, licet origine non sim Polonus, postquam per quatuor fere lustra in Polonia, & maximam partem quidem ejus Metropoli, Warsaviæ vixi, & Praxin Medicam pro muneris publici ratione exercui, serio cogitavi de scripto aliquo Warsaviæ singularia posteritati commendante, adornando. Et hoc eo qvidem magis, quod non sine magna offensione viderim, tot ex Polonia redire Medicos, atque inter hos etiam non paucos, auro & divitiis bene onustos, qui abstersa impudenti fronte & ore, frui quidem partis, gratam autem mentem pro beneficiis acceptis pendere nullo modo curant. Nec ullus ex his mihi hactenus innotuit, qui de Sarmatia & Methodo Polonis Medendi, aliquid operæ pretium memoriæ tradiderit. Sunt quidem nonnulli, qui Poloniam, & in specie etiam Warsaviam, Regiis Aulis inservientes, cominus viderunt, & suas de Curiosis in Polonia, ipsaque etiam Praxi ibi exercita, observationes publicis scriptis inseri curarunt; ast hoc, quod antea dictum fuit, fundamentum, attigerunt nulli; plerique autem observationibus suis minus bene digestis, plus tenebrarum quam lucis Historiæ Naturali & Medicæ Sarmatiæ affuderunt. Inter hos unus ex præcipuis *Martinus Bernitius*, cujus levitas & cruda simplicitas, vel ex sola illa observatione, dum Lycopodii, plantæ notissimæ lusum in nascendo, cum talpæ figura, in sinum de rei novitate gaudens, comparare non dubitavit, elucescit: reliqua ejusdem Autoris, quæ inter alia Curationes & Consilia pro Vladislao IV. Rege, non ab ipso sed aliis instituta, præcipue autem *Andreæ Cnœffelii*, sesquipedales & tædiosas Compositiones, Arcana Helmontiana & diffusissimas Consultationes

nes comprehendunt, parum etiam vel nihil ad ſcopum faciunt: *Simon Schultze*, Thorunienſis doctiorem ſe exhibuit & valde in obſervando diligentem & accuratum, ſi aliquibus in locis nimiam excipias credulitatem, qua aliorum fidit relationibus: Majorem adhuc meretur exiſtimationem *Joh. Paterſon Hain*, qui per aliquot annos Praxin apud Sarmatas in Aulis Principum exercuit, poſtea autem Phyſicum & Medicum Civitatis Eperienſis in Hungaria egit: *Aloyſius Sinapius* autem, qui Radzivilianæ familiæ circa annum 1693. pro Medico inſerviit, cum ſuis *Abſurdo - Veris*, (in quibus, & quidem ultimæ editionis auctæ, pauca etiam de victu, moribus & morbis Polonorum invenies,) ut abſurdum Orbi Literario ſe deridendum præbuit merito: Meliora ſibi promittere poteſt curioſus Hiſtoriæ Medicæ Polonicæ amator ab *Onuphrii Bonfigli* Liburnenſis, qui Cracoviæ per aliquot luſtra Medicinam quondam exercuit, ſcripto recentiori de *Plica, Peſte & Febribus Malignis Anno MDCCXX.* junctim edito. Hac igitur jejuna Scriptorum ſterilitate excitatus, nolui officio deeſſe, & meam qualemcunque opellam Sarmatiæ, in ſpecie autem Warſaviæ pro illuſtratione commodare, præſertim cum per tantum temporis ſpatium clementem non ſolum cœli auram, ſed etiam magnatum in Polonia gratiam expertus fuerim. Invitabat igitur non minus ad hoc inſtitutum ipſa Nationis Sarmaticæ dignitas, & erga exteros benè merentes ſumma humanitas & benevolentia, quibus cum Hoſpitalitatis virtute junctis, pleraſque ſuperant, fatente ipſa invidia, cultiores etiam gentes, Generoſi Poloni. Neque temere credas velim quorundam blateronum ſcurrili maledicentiæ, qui gentem hanc nobilisſimam de neſcio qua feritate & aſperitate ſuſpectam reddere ſatagunt. Poloni ſanè urbaniores & cultu elegantiores ſunt, quam vulgo creditur. Et ne temere vel ex intempeſtiva adulatione hoc dictum putes, loquatur pro me eloquentisſimus *M. A. Muretus*, qui aureo plane ore & Ciceroniano ſtylo, Polonorum dignitatem, ſequentibus commendat: *Magna mihi cum*

cum multis Germanis, magna cum permultis Polonis familiaritas, magnus usus, magna necessitudo fuit. Semper eos expertus sum bonos viros, apertos, humanissimos præterea, & prope omnes eo vitæ cultu ac munditie, quæ ad elegantiam potius, quam ad ullam barbariem accederet. Nugæ istæ sunt hominum, eos, qui adulari & fallere, & aliud loqui, aliud cogitare nesciunt, barbaros vocantium. Utinam nos eo modo barbari essemus! Utri vero barbariores sunt: Nati in media Italia, quorum vix centesimum quemque reperias, qui Latine aut Græce loqui sciat, aut literas amet: an Germani & Poloni, quorum permulti & earum linguarum utramque perfectissime callent, & ita literas ac liberales disciplinas amant, ut in eis tempus omne consumant? Olim illi fortassis asperi ac barbari fuerunt: hoc quidem seculo vereor, ne ad nos barbaries, ad illos cultus & splendor vitæ, & eruditio atque humanitas, mutatis sedibus, commigrarit. Et hæc *M. A. Muretus ad Paul. Sacratum Canonicum Ferrariensem Anno Chr. 1578.* scripsit, a quo tempore jam sesqui seculum effluxit: quid putes jam de illis, mirum quantum omni elegantia auctis, si viveret, dicturus esset? Nec frustra *Erasmum Roterodamum*, acerrimum alias vitiorum Aristarchum, asseruisse alicubi in scriptis suis puto: *Literis, legibus, moribus & religione, & si quid est, quod a Barbariei probro vindicet, cum præcipuis & lautissimis nationibus certare posse Polonos:* allegante *autore Poloniæ Defensæ contra Barclajum.* Ut igitur illi, qui hactenus parum vel nihil penitus de totius Sarmatiæ Metropoli, Warsavia acceperunt, agnoscant, urbem hanc summa Dei Omnipotentis gratia, ad fovendos incolas, atque excipiendos etiam hospites, cunctis bonis esse locupletatam; Ita, ut, si incolæ Portugalliæ dicunt, *quem Deus amat, illi domum aut sustentationem Lisbonæ concedit;* (cum quo proverbio optime conspirant, quæ *Amatus Lusit. Cent. III. Observ. 13. in Schol.* de Ulysfiponis salubritate prædicat,) idem merito, mutatis mutandis, respectu Poloniæ, hinc inde propter frequentiores paludes, alias non adeo salubris, dici poterit: *Quem Deus ex Polonis amat, illi domicilium Warsaviæ concedit;* hanc provinciam mihi reservatam arripui, & *WARSAVIAM physicè, secundum Aërem, Aquas & Loca Illustratam* composui. Quod scriptum, si nullum alium, hunc tamen habebit usum, ut illos Medicos, qui Artem in Polonia, & potissimum Warsaviæ imposterum facturi

ćturi ſunt, multarum rerum cognitione inſtruere poſſit, quas eosdem ſcire oportet, priusquam ad curandos cives vel advenas accedunt, ne illotis negotium aggrediantur manibus. Totam autem tractationem ſex capitibus abſolvere libuit, quorum *primum* ſufficientem de Urbe ipſa ejusdemque ſituatione & ædificiis præcipuis; *ſecundum* de Aëre; *tertium* de Aquis; *quartum* de Incolis, eorumque Victu, Temperamento & Moribus; *quintum* de Morbis; *ſextum* denique de Ingreſſu ad infirmos Warſavienſes, vel Methodo Medendi, dabit informationem. Annexum tandem invenies ultimo loco *Naturale Warſaviæ Viridarium*, i.e. *Catalogum Plantarum circa Warſaviam ſponte creſcentium.* Non vacat ſingulorum capitum hic proponere ſciagraphiam: hoc unicum ſaltem monendum de *ſecundo*, *quod de Aëre inſcribitur capite:* eo ipſo terræ etiam vel ſoli Warſavienſis eoque pertinentium deſcriptionem comprehenſam, nullumque ſingulare caput pro materia hac tractanda, conſtitutum eſſe, quia alias, quæ de effluviis atque exhalationibus terreſtribus aëri perpetuo communicatis, fuere dicta, maximam partem tædioſe repetere debuiſſem. Num de omnibus ſatis accurate & perfecte actum fuerit, de hoc cum nemine diſceptabo humanæ ſortis & fragilitatis meæ ſatis memor: ſciendum enim ſubſecivis horis hoc opuſculum fuiſſe adornatum, & tempore illo, quantum practici labores continui & ordinarii concedebant. Sine omni etiam fere adminiculo autorum & bibliothecæ pleraque compoſita eſſe ſcias. Neque enim quidquam præter propria mea collectanea & adverſaria mihi tunc, cum compoſitionem aggrederer, ad manus erat, usque dum ante tres circiter menſes Dresdam venerim, ubi, etiam inter ordinaria negotia, ſchediasma interdum revidendo, hinc inde ſupplere quædam & emendare licuerit. Quam inter ſingularia hujus ſcripti, de Plica invenies theoriam, à nullo unquam antea propoſitam, meam eſſe ſpeculationem ſcias, quam nemini obtrudo; ſaltem ut morbo præ aliis hactenus notis, magis congruam, non improbandam penitus eſſe exiſtimo:

ſtimo: ad cujus abſolutam veritatem ſtabiliendam autem plura adhuc requiri experimenta & perſcrutationes, lubens fateor. Hoc interim affirmare auſim, me omnia bona fide propoſuiſſe, & ab erroribus per credulitatem facile alias irrepentibus, natura me eſſe alienum. Si quid autem nihilominus humani paſſus fuerim, aut totum argumentum diſcurſu meo, pro rei dignitate B. L. non inveniet exhauſtum, cogitet, primum me eſſe, qui glaciem hanc fregit, omniq; fere exemplo deſtitutum, quo uſus, hanc tabulam perfectiori pictura abſolvere potuiſſem. Et quicunque etiam fuerit in hac mea tractatione labor, incitamento ad minimum poterit eſſe aliis accuratius ubique inquirendi, & ſolidiora ſequenti tempore, per ejusdem argumenti retractationem & repetitionem exhibendi. Utplurimum enim hoc ſolet fieri, ut difficiliora, in ſcribendo etiam, aut differat aut detrectet quilibet, ſtatim autem ac alius opus aggreditur, per hunc vel illum locum, unum aut alterum offendat adeo, ut ad accuratiorem rei tractationem ſeipſum tandem accingat, & faciliori via, inventis alia addat pleniora & perfectiora. Quod impoſterum etiam de hoc ipſo tractatu futurum fore præſentio, aut ad minimum opto. Benovolum Lectorem autem, ut his interim lineis, Obſervationes potius, quam completam Hiſtoriam repræſentantibus, contentus ſit, obnixe rogo.



Nach dem Naturel gezeichnet, von C.F. Erndl. Ingen. Capit. *M. Bodenehr sc. Dresd.*

Cap. I.
De Situ Warſaviæ.

QUicunque ſaltem de Warſaviæ origine aliquid literis mandarunt, uno ore fatentur omnes, à Conrado Duce Maſſoviæ Cirnenſi, Warſaviam fuiſſe locatam A.C. Milleſimo ducenteſimo ſexageſimo nono. Antiquiſſimis enim temporibus Duces Maſſoviæ, antequam Reges has occuparunt provincias, *Cyriſci* (*Czerſci,*) ignobili fere jam & vix non penitus in ruinis jacente oppido Maſoviæ, reſidentiam habuerunt ordinariam. Diſtat autem ab hoc Cyriſco (Cerzk) viginti fere milliaria Polonica, Warſavia noſtra, in medio Poloniæ pariter ac Lithuaniæ ſita, de qua, mutatis mutandis illud dici poteſt, quod olim, *Livius Dec. I. Lib.* 5. *cap.* 30. de Roma ſcriptum reliquit: *Non ſine cauſa Dii hominesque hunc Urbis condendi locum elegerunt, ſaluberrimos campos, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipiantur: Regionum (Poloniæ) medium, ad incrementum Urbis natum unice locum.* Quibus rationibus motus quondam Sigismundus Auguſtus Rex ſingulari judicio delegit hanc Urbem, in qua deinceps univerſæ Sarmatiæ Comitia publica indicerentur, nec ipſe, dum vixit, lubentius usquam moratus eſt; quem ſecuti ſucceſſores, jam à centum & ſexaginta fere annis Warſaviam pro Reſidentia elegerunt ordinaria. Elevatio Poli Warſaviæ eſt intra quinquageſimum ſe-

cun-

cundum & tertium gradum, vel accuratius dicendo, gradus 52. cum 15. minutis. Hinc eandem latitudinem habet cum Vratislavia, Francofurto ad Oderam, Minda Westphalorum, Antverpia Belgarum &c. cum quibus eundem horarum numerum, sedecim nimirum longissimi diei, tempore solstitii æstivi, celebrat: Longitudo autem Warsaviæ intra quadragesimum quartum & quintum gradum includitur; cum itaque ab Uraniburgo 35. minut. temporis differat, Warsaviæ dimidium horæ & quinque minuta citius meridies observatur, quam Uraniburgi. Et ita unum eundemque Meridianum habent cum Regiomonte Prussiæ, Caschau, Eperies, Buda, Varadino, Belgrado Hungariæ, itemque Ragusa. Ex quo fundamento fere æqualis est his omnibus locis cum Warsavia nostra solis ortus & occasus. Si Acus Magneticæ declinatio aliquam hic afferret utilitatem, possem ex curiosi alicujus observatione annotare, quod ante aliquot annos tredecim gradus in Occidentem hic declinaverit, hoc autem, quo hæc scribimus anno acus decimum gradum declinationis in eandem mundi plagam attingat. Quamvis hoc forte tantam attentionem non mereatur, quantam illud quod à peregrinatoribus curiosis annotatum invenimus, in exterarum regionum scilicet nonnullis locis, Acus Magneticæ declinationem nullam penitus observari: ita in urbe Xingam Tartariæ M. sub 41°. 56. latitud. nulla deprehensa fuit Acus Magneticæ declinatio, referentibus *Transactionib. Anglicanis ad Ann.* 1708. E contrario *P. Francisc. Noël S. J. in Observation. Mathem. & Physic. in India Or. & China, ab anno* 1684. *ad ann.* 1708. *factis*, annotavit, primum declinationis Acus Magneticæ meridianum, seu lineam illam, sub qua fixa est acus, non esse alicui Meridiano Mundi parallelam, adeoque polum magnetis non esse eundem cum polo mundi. Nec primum Meridianum esse fixum, sed mobilem, modo ab ortu in occasum, modo ab occasu in ortum procedere, quasi per modum librationis lunæ, vid. *harum Observationum cap.* 8. Quæ quidem *P. Noël* observatio infringere aliquo modo videtur famosum illud de Acus Magneticæ defle-



Bodenehr sc.

deflexione à vero Meridiano, *Syſtema Halledanum*, ab anno 1684. ad hæc usque tempora variis experimentis a Gallis æque ac Anglis confirmatum, niſi forte utramque & *P. Noël* & *Halleyi* Obſervationes atque ſententiam, illud experimentum novum, quod nuperrime *Wilhelmus Derham in Notis propriis ad Theologiam ſuam Phyſicam L. V. cap.* 1. *p.* 389. publicavit, aliquo modo conciliaret, ita autem hic l. c. *Comme l' Aiguille Horizontale decline, & varie continuellement vers l' Eſt & l' Oueſt; celle, qui marque l' Inclinaiſon, varie de même de haut en bas, s' inclinant plus ou moins vers le Zenith & le Nadir; & par cette double tendance Magnetique, je concois, que l' Aiguille decrit un cercle autour du Pole du Nord, ou autour de quelque autre point; Enſorte, que ſi on pouvoit ajuſter une Aiguille de maniere, qu' elle s' accordât exactement avec la direction Magnetique, dans un certain nombre d' années elle decriroit de part & d' autre autour des Poles Magnetiques un Cercle, dont le raion ſeroit d' environ de treize degrez de diſtance de chaque Pole.* In genere autem maxime dubitandum, aliquam utilitatem in Longitudine invenienda ab Acus Magneticæ Horizontalis declinatione hauriri poſſe. Quoniam omnes Acus Magneticæ ſeu Horizontales ſeu Verticales, hactenus fuere in ſtatu violento, & niſi magnes libertati ſuæ reſtituatur, nulla unquam certitudo inde ſperari poterit firma.

Sed hæc in tranſitu: magis ad noſtrum ſcopum collimat, & hic non prætereundum, quod a *Chvvalkovio in Singular. Polon. p.* 94. annotatum legimus, Warſaviam eſſe centrum multarum in Europa reſidentiarum, Romanæ ſcil. Pariſienſis, Londinenſis, Moſcoviticæ & Byzantinæ: æquali etiam fere diſtantia, paulo tamen minori, ab illa eſſe urbes, Holmiam Regiam Suecorum, & Hagam Comitis. Planities mediterranea Poloniæ in qua Warſavia locata, tanta eſt, ut nullo oculo finiatur circum circa, de cætero tam amœna & felix, ut ad aliquot milliaria, nullis fœdis paludibus, quæ alias in Polonia frequentes nimium ſunt, non multis ſtagnis aut lacubus, non ſpecubus aut cavernis halituum malignorum promis condis, inquinetur; ſed potius omnis regio voluptate af-

ficiat ſpectantes: Campi & agri frumentorum & pabuli omnis generis feracisſimi: maxima amœnitas pratorum paſſo quaſi æquore ſe explicantium, amœni horti, limpidi fontes: & urbi toti Orientem verſus fines imponens fluvius Viſtula, qui placida ſed late luxuriante unda loci amœnitatem & commoda auget, ſimulque Pragam ex altera parte e regione parallela ſitam, ab urbe diſtinguit: Verſus meridiem autem elatius & monticulis quaſi aſſurgens ſolum, *Ujazdovium* cum magnifica arcis mole, & *Belvedere* Palatium Pacianum quondam, ex ligno quidem conſtructum & ruinæ proximum, propter adjacentem autem in declivi hortum a civibus Warſavienſibus æſtivo tempore, multum frequentatum, comprehendit, ut de *Balneis Ujazdovienſibus*, a ſupremo Regni Mareſchallo Stanislao Lubomirio quondam exſtructis, a Sereniſſimo Rege autem præſenti tempore ad longe majorem magnificentiam & amœnitatem evectis, nihil dicam: Sicuti ex altera & oppoſita Septentrionali plaga Camaldulenſium Eremus, *Bielany dicta*, propter lucum & Viſtulam adjacentes, maxime ſe commendat, & exſpatiantibus in deliciis eſt. Decliviorem locum circumpoſitæ Warſaviæ regionis, occupat *Solecum*, in quo plurimi civium Warſavienſium horti, & quod primo hic loco comminiſcendum, *P. P. Trinitariorum Diſcalceatorum de Redemptione Captivorum communiter appellatorum*, territorium cum clauſura & templo, adjacenteque amplo ſatis horto, qui fructibus atque oleribus omnis generis, ex laborioſa ac indefeſſa Patrum illorum diligentia eſt refertus.

Unicum adhuc de Ambitu Warſaviæ commemorandum eſt, Campus Electoralis nempe, communiter ab adjacente fortaſſis pago, *Wola* dictus, qui dimidio fere a Leſna lapide occaſum verſus ſitus eſt, quadrata forma conſpicuus, & aggere ſuperficiali â reliqua terra vix diſtinctus, ubi interregni tempore, antiquiſſimo nationis inſtituto, congreſſus Senatorum & Nobilitatis pro Electione celebranda, fieri ſolet.

In

In hoc loco & ejus vicinia, dicto Electionis tempore, ducenta millia hominum quandoque conveniunt, præcipuorum ex Nobilitate gentis. Id quod tempore Electionis Vladislai Quarti Regis in ſpecie contigiſſe meminit *Autor Poloniæ defenſæ contra Barclajum p. 90.* ubi in ſingularem nationis laudem addit: *In tam numeroſo autem populi confluxu, quamvis nulli cuſtodes eſſent, nulli vigiles, urbs ipſa Warſaviæ nunquam clauſa, & quocunque tempore noctis iis pervia, qui circum circa caſtrorum more ſtativa habuere, adeo tamen ſecura & tranquilla erant omnia, ut vix quisquam vi peremptus, quin ne ſpoliatus quidem diceretur; idque toto ſesqui menſe, quo Comitia illa durarunt.* Proximius eſt ſuburbiis, a quibus tamen ſeparatum, *Belloti, Architecti quondam Itali ſat celebris, Palatium,* totum lapideum, Moſcorum Legatis ordinariam quaſi reſidentiam ſuppeditans, à retro aliquot annis.

Luſtrata ſic hinc longe lateque extenſa Warſaviæ poſitione, commemorandum etiam aliquid erit de tota ipſius circumferentia, ut tota Urbis moles & magnitudo innoteſcat accuratius: erit autem illa menſuranda ab una extremitate ædificiorum ſuburbanorum, quorum terminus eſt Viſtula, ad alteram, quam circumeundo ſepties mille & octingentos paſſus continere expertus fui, accedit linea, ſegmentum circuli finiens, quæ ſeorſim tria millia & quingentos conficit, ita ut undecies mille & trecenti greſſus, omnem Warſaviæ conſtituant circumferentiam: de veritate commenſurationis hujus & accuratiori calculo minus quis dubitet, qui ſciet, hanc illo tempore factam fuiſſe, quo nive omnis circumjacens Urbem ager, & glacie tota contecta erat Viſtula, ita ut circuitus ſuburbii æque & lineæ illius quam ipſa facit Viſtula, tunc fuerit liberrimus: Et hæc quoad exteriorem Warſaviæ dimenſionem, quæ omnia, ſub *Novæ Civitatis Nalevvkæ, Leſnæ, Grzybovvæ, Vielopolii, Novvy-Svviat, Alexandriæ & Cracovienſis* nomine comprehenſa ſuburbia in ſe continet: Illud ſpatium autem, quod mœniis eſt incluſum, & foſſa alias circumſcriptum fuit, mille quingentis & quadraginta abſolvi-

tur passibus in circa, accuratiorem enim dimensionem impediunt ædificia privata & publica, quæ ipsis mœniis inædificata quondam fuere ex incuria, sicuti nec Arx Regia hic comprehenditur, utpote quæ antea quidem separata ab urbe fuit, jam autem per ambulacrum ex lapide constructum, ab Arce ad Parochiale Templum ducens, & per Canonicorum Collegiatæ hujus Ecclesiæ ædes ac mansiones, cohæret ex parte.

Et his explicatis, sufficientem sibi unusquisque de magnitudine Urbis formare potest conceptum, antequam autem ad interiora Civitatis lustranda pergam, juvabit alium adhuc suppeditare spectandæ Warsaviæ modum.

Cum enim ad plerarumque urbium fluviis adjectarum exemplum, Warsavia in situ suo & positione segmentum circuli minus repræsentet, ille qui præcipuum ipsius decus & plenam fere faciem lustrare vult, omnium optime voti sui compos fiet, si ex Podlachiæ finibus e. g. rediens, *Pragæ* subsistet, ibidemque ad Vistulæ littus pedem figens, spectaculum hoc suscipiet, quale in titulo hujus nostri tractatus effigie est expressum. Videbit tunc ex altera parte fluvii elatum littus, & in altioribus ejusdem locis, undequaque ab Australi ad Aquilonarem plagam longè lateque extensa pulchro ordine ædificiorum atque templorum molimina, præsertim autem in editiori loco Magnificam Regum Arcem & ab utroque latere præcipuè australi, Magnatum Palatia, præterea hinc inde extantia frequentium turrium cacumina, Claustra Religiosorum & Religiosarum, eminentibus fastigiis decora. Quibus si adnumeres, extra Urbis & suburbiorum ambitum, hinc inde sparsa *Ujazdoviense & Mariæ-montanum* auro corruscans aliaque Palatia campestria, hæc velut stellas in lucido emicantes cœlo miraberis.

Maximam autem amœnitatem æque ac utilitatem conciliare videtur huic Urbi adjacens sub *Vistulæ* nomine per totam Euro-

Europam celebratus fluvius, quem navibus onerariis & ratibus Gedanum tendentibus perpetuo fere ſolicitatum cernes; aliquoties enim prout amnis intumeſcit, navigatio Gedanum ex Poloniæ provinciis repetitur, non quidem ſemper pari navium numero, ſed tamen magno ſatis: nec puto me dicturum minus quam res ſit, ſi quatuor millia navium ponam, computando inſimul rates ſeu trabes connexas, quibus etiam utuntur plurimi. *Eſt autem Viſtula, quæ mediam Sarmatiam, (ut Stanisl. Sarnicii verbis in Deſcript. Poloniæ utar,) peragrando lambit, & oritur ex montibus Sarmaticis, ultra oppidum Skoczow & Bielsko, & tandem in Septentrionem tendit, arcus figuram efficiens: Antequam mari mergitur, capit in ſe quinquaginta fere flumina, ex quibus duo nobiliora infra Warſaviam haud procul ab oppido Zegrz ſeſe ei aſſociant, Narva inquam & Bug.* Stratus fuit quondam, Sigismundi Auguſti Regis tempore, ligneo ponte, 1150. paſſus longo, hic fluvius, ab ipſo quidem non ſed a Sorore Anna poſt obitum Regis perfecto. Magno autem civium Warſavienſium damno, ann. 1603. jugo uno glaciei impetu ſublato, & quoad reparationem neglecto, iterum deſtructus. De ipſo ponte adhuc dum monumentum æneæ tabulæ inſcriptum, ac turri, pulveris tormentarii receptaculo, quod alias ponti huic inſerviebat ut propugnaculum, affixum, teſtatur: his verbis: *Ne Pontem ſublicium ſuperbo ſumptu atque arte admirabili a Sigismundo Auguſto Rege inchoatum, & a ſe poſt ejus mortem conſimili opere perfectum, repens vicina ſuburbanorum male cautorum tectorum flamma nec opinate mere corriperet, correptumque in favillam redigeret: Anna Jagellonia Poloniæ Regina Magnorum Regum Conjunx, Soror, Filia, hoc Lateritii Propugnaculi ſepimento tutiſſ. a fundamentis excitato, muniendum curavit. A. Chriſti Dei Noſtri M.D.XXCII.* Cum igitur poſt illud tempus, nulla conſtans, præter extemporaneos & nautilos ex ratibus & naviculis conſtructos, belli tempore, pontes, ſtructura Auguſteæ ſimilis, pro transeundo flumine, fuerit inſtituta aut perfecta, non niſi per pontones, naviculas & cymbas, præſenti tempore Viſtulam transfretare licet. Transfretationis, peditum in ſpecie, terminus communiſſimus hactenus fuit a dextra & ſeptentrionali Arcis parte, ad pedem

pedem montis illius, qui a turpi fimeto nomen traxit (*Gnoyovva Gora:*) Eſt autem littus hujus loci altiſſimum & præruptum fere, quadraginta (40. *ad* 45. *pedes*) pedes geometricos altitudine comprehendens, quod extructis ex trabe gradibus aſcendendo, ſuperare oportet, antequam Civitatem ipſam ingredi liceat. Quam non, niſi transeundo primo illam Urbis appendicem, quæ communi nomine ad Viſtulam, (*nad Wisła,*) venit, & omnia illa ædificia, in ſpecie granaria & piſcatorum domicilia, comprehendit, quæ in acclivi intra fluvium & civitatis mœnia dicam an ædificia antemuralia, (Lapideæ enim hic cum ipſis mœniis confunduntur,) per totum illum tractumOrientalem ab Arce adProchophylacium usque extenduntur, attingere integrum eſt: In medio enim fere hujus tractus patet ſub turri portula, quæ per angiportum immediate ad forum Civitatis ducit. Areæ hujus fori figura quadrata fere eſt, cujus latera ex ſeptentrionali & meridionali plaga paſſus centum cum duobus, ex orientali & occidentali, centum triginta quatuor continent menſura, ædificiis cincta lapideis circum circa ad quatuor, & alicubi ultra, contignationes exaltatis: Ipſa publica civium domus vel curia in medio ſita eſt, turri & campanili cum horologio ex mediis domus tectis exurgente, decentis excelſitatis, ornata, figuræ quadratæ, quoad porticum in ſpecie, qua tota circumdatur, & quæ inſtitoribus varii generis mercium deſtinata eſt pro tabernis. De cætero tota civitas mœniis incluſa, vix trecentas in univerſum lapideas, quæ per ſex vel ſeptem ad maximum, plateas diſtinguuntur, continet, præter templa, monaſteria & xenodochia, inter quæ primo loco *S. Johannis ædes* numeranda quæ Parochialem & quidem totius Warſaviæ primam conſtituit. Eccleſia hæc, quæ antea fuit lignea, circa a. c. 1390. per Joannem Ducem Mazoviæ ædificata & lapidea facta fuit, Anno 1402. translatum eſt ad hanc Eccleſiam Collegium Canonicorum Ciricienſe, (ex Czersk,) ubi tum Collegiata erat, cum augmento fundationis pro duodecim Canonicis & quibus-

dam

dam Prælatis, autoritate Bonifacii IX. Pontificis M. ad instantiam ejusdem Ducis Joannis. Tandem Anno 1406. subsecuta est dictæ Collegiatæ erectio per Albertum Episcopum Posnaniensem. Jus Patronatus ergo omnium Canonicatuum & dignitatum hujus Ecclesiæ transiit, post extinctam familiam Ducum Mazoviæ, ad Reges Poloniæ.

Includuntur autem huic Parochiæ sequentes Ecclesiæ & Hospitalia:

1. *Ecclesia Eremitarum S. Augustini, sub titulo S. Martini cum Monasterio:*
2. *Ecclesia PP. S. J. Provinciæ Lithuanæ cum Collegio:*
3. *Ecclesia Minorum de observantia seu Bernhardinorum cum Monasterio:*
4. *Ecclesia Monialium S. Claræ, vel Bernhardinarum, cum Clausura:*
5. *Ecclesia Scholarum Piarum PP. cum Collegio:*
6. *Ecclesia Eremitarum Pauli Primi Eremitæ sub titulo S. Spiritus cum Monasterio:*
7. *Ecclesia PP. Capucinorum cum Clausura:*
8. *Ecclesia PP. S. J. Provinciæ Regni Polon.*
9. *Ecclesia Carmelitanorum Calceatorum in Lésna, cum Monasterio:*
10. *Hospitale S. Spiritus:*
11. *Hospitale S. Lazari.*

Parochiali Ecclesiæ proxime adjacet *P. P. Jesuitarum Templum & Collegium*, quod, quia per commutationem Collegii Brestensis in Lithuania antiquitus Provinciæ Lithuanæ cessit, etsi indistinctim â Polonis & Lithuanis Patribus inhabitetur, Lithuanicum appellatur: In altera hujus Collegii ædificii contignatione, conservatur in singulari conclavi à dextris meridiem versus, bibliotheca copiosa satis, tria millia circiter voluminum continens: cujus nulla certa fundatio: libri à Regibus, Magnatibus aliisque Collegii Patronis donati, partim

etiam a Patribus ipsis legati fuerunt: Præsertim duos laudant Rev. PP. Mathematicos Collegii quondam Socios *P. Kochanski* & *P. Piekarski*, qui multos libros, globos & instrumenta mathematica, huic bibliothecæ intulerunt: siquidem præcipui & spectabiliores moderni libri potissimum hic sunt mathematici. E regione hujus Collegii, ex altera plateæ parte visitur ab aliquot annis noviter extructum eleganti forma *Gymnasium*, in Literis humanioribus, Philosophia & Theologia studentium, quod, cum sumptu atque impensis, ultimo defuncti Episcopi Plocensis Ludovici Zaluskii b. m. sit erectum, recte *Zaluskianum Gymnasium* vocatur.

S. Martini autem *Ædes cum Monasterio P. P. Augustinianorum* in altera platea, à cerevisiæ propinatoribus *Pivvney Ulicy* nomen quondam sortita, positum est, cum adjacente Xenodochio vel Nosodochio potius publico satis commode extructo, in quo plus quam centum continuo ægri, a juratis civitatis chirurgis & in communi viventibus sic dictis Sororibus Charitatis, quæ Oratorium habent ad *S. Rochum* in Cracoviensi suburbio, tractantur, & conservantur publicis sumptibus.

Præter hæc, nulla intra mœnia sunt ædificia publica, exceptis illis, quæ post Parochialem Ecclesiam in cœmeterio, *Canonicorum* inserviunt *habitationibus*, & maximam partem, quoad posticas partes, Orientem versus & Vistulam spectant.

Magis numerosa autem sunt ædificia publica in suburbiis: Et in Neostadiensi quidem, Septentrionem maxime, atque ex parte Occidentem etiam spectante, prima inter præcipuas *Ædes* est, quæ *a Spiritu Sancto* nomen habet, & quam cum adjacente Monasterio *Patres, qui a S. Paulo Eremita ortum & regulam habent*, atque ex *Częstochoviensi Claro Monte* huc missi sunt, tenent. Ordinis enim hujus, qui Anno 1215. in Hungaria oriri cepit, Religiosi, Monasterium toto Orbe celebratum Częstochoviæ possident, quod simul mu-

munitum ſatis habet fortalitium, a Suecis quondam duplici obſidione fruſtra tentatum.

Ex parte dextra hinc pergenti platea, quæ a ponte nomen habet & ad Viſtulam ducit, occurrit, in qua *Noſocomium publicum S. Lazaro dicatum cum Sacello*, paulo inferius autem ad ipſam Viſtulæ ripam *Turris quadrata*, quæ jam quidem pro Prochophylacio inſervit publico, quondam autem propugnaculum fuit, pontis illius frontem degens, de quo in antecedentibus una cum inſcriptione huic ſupra portam inſertæ, facta fuit mentio.

Ex hac platea aſcendendo revertenti, a dextris *P. P. Dominicani* occurrunt, qui magnam partem hujus ſuburbii cum templo monaſterio & ædificiis ſuis reliquis occupant. Primus Ædis hujus Sacræ autor & fundator fuit *Abrahamus Bzovius, A. C.* 1603. qui templum ipſum *S. Hyacintho* dicatum eſſe voluit. Poſtea inter alios, qui liberalem huic Conventui porrexere manum, Anno 1616. ut fundationis hiſtoriæ verba habent, fuerunt, primus quidem Sigismundus Wierzbinski, deinde etiam Albertus Baryczka, & Hedwigis Baryczkowa, de domo Kulinska, Stanislai Baryczka Conjunx. Refectorium autem hujus monaſterii cum bibliotheca ſuperius extructa a fundamento poſtea erexit Stanislaus Baryczka, A. C. 1647. de quo monumentum ſub introitum Refectorii, in ſuperiori januæ parte, erectum teſtatur, literis lapidi incisis. Adeo numeroſam bibliothecam in nullo alio Warſaviæ inveni ac vidi Religioſorum Conventu, quam in hoc: Aſſervatur hæc in ſecundæ contignationis ſpatioſo conclavi, ex utroque latere feneſtris inſtructo, quæ collecta ſenſim fuit, per ipſos Patres, poſt mortem librorum ſuppellectilem bibliothecæ legantes: numerus ligatorum librorum ſupra tria millia aſcendet, de MStis autem altum hic eſt ſilentium; neque indicem habent, in quo conficiendo plus quam centum conſumunt jam annos; maximum librorum numerum conficiunt

unt Theologici, Scholaſtici & Philoſophi, reliqui ad Hiſtoriam ſacram & profanam ſpectant.

Poſt ædificia Dominicanorum PP. occurunt *Benedictinæ Moniales, ab adoratione perpetua S. S. Sacramenti nomen adeptæ, cum Templo S. Caſimiro dicato*, ad regulas modernæ architecturæ tecto teſtudineo campaniformi (Italice cupula) inſtructo, & Monaſterio toto ex lapide pulchre ædificato, cui hortus jungitur acclivi ſitu & cultura non ſpernenda ſe commendans: maximam partem fundationis hæc omnia debent Reginæ Mariæ Caſimiræ Regis Johannis III. conjugi. Huic proxime in angulo, quem ſplendidum hoc Monialium ædificium relinquit, adjacet *Templum S. Bennoni dicatum*, Germanis pro cultu divino inſerviens, quorum idiomate & lingua etiam conciones ſacræ ſingulis Dominicis hic fiunt. Sequitur poſtmodum Parochialis *S. Mariæ Virginis Deiparæ* Eccleſia, cum ambitu ex ligno extructis domiciliis conſtante, quæ pro ſacerdotibus miniſtrantibus capiendis inſerviunt. Hæc ipſa Cathedrali Collegiata & principali Civitatis Eccleſia, dicitur eſſe vetuſtior, aſt falſo, uti ex ſuperioribus patet: ſita eſt in elato Viſtulæ littore, ad quam aditus principalis patet ex foro vel circulo Novæ Civitatis: ædificium ipſum valde vetuſtum eſt ac rude, ex lateritio muro cum turri figuræ quadratæ exſtructum: Inter Parochiales Warſavienſes ordine ſecunda: fundationis hujus chroniſmum patere volunt ex characteribus lapidi, qui fulcro lapideo templum orientem verſus ſuffulcienti a tergo magni altaris ad extra inſertus eſt, & pro numero & anno 1392. accipitur, quamvis mea quidem ſententia ſecundus in ordine character ad hunc modum Ꝝ expreſſus, quaternarium numerum exprimere potius videatur, ita, ut pro 1392. legendum ſit 1492, In Parochialem autem erecta fuit per Albertum, Epiſcopum Poſnanienſem, A. D. 1411. ſub nomine & in honorem *Viſitationis S. Mariæ Virginis*, ad ſolicitationem atque inſtantiam Annæ Ducis Maſſoviæ, cui Joannes Senior Dux Maſſoviæ pro ipſa

Eccle-

Ecclesia & ejus dote fundanda, allodium agrorum circa dictam Ecclesiam tunc jacentium, obtulit ac donavit. Includuntur Parochiæ hujus Ecclesiæ, novem aliæ: 1. *S. Crucis in Campis extra Warsaviam circa viam Bielanum ducentem, locata*, 2. *S. Andreæ Apostoli Fratrum Misericordiæ*, 3. *P. P. Franciscanorum*, 4. *S. Bennonis Episcopi, nationis Germanicæ*, 5. *S. Casimiri Monialium S. Benedicti ab Adoratione S. S. Sacramenti*, 6. *S. Georgii M. Canonicorum Regularium*, 7. *S. Hyacinthi P. P. Dominicanorum Conventus Majoris*, 8. *P. P. Theatinorum*, 9. *S. S. Trinitatis Monialium S. Brigittæ*.

Hospitalia autem tria, 1. *Pauperum senum in Cœmeterio Parochialis hujus Ecclesiæ, pro Parochianis*: 2. *Puerorum orphanorum sub regimine Confraternit. Germanicæ S. Bennonis*, 3. *Infirmorum apud Fratres Misericordiæ*.

Ex hoc loco, si quis per ambages, occasum versus passum dirigit, occurrit *P. P. Franciscanorum Conventus* cum templo nondum finito, & post illos longius remotum *F. F. Misericordiæ Nosodochium & Sacellum*, nuperrime ex lateribus ad modernas Architecturæ vulgaris regulas extructum, postquam prius & antiquum illorum ædificium, quod antea juxta hortum Regium extructum cernebatur, a Serenissimo ante duos abhinc annos, funditus destructum fuit.

Sequitur *S. Georgii fanum*, quod pro antiquissima a quibusdam totius Warsaviæ Æde Sacra habetur, & a qua integra platea, a Dominicanis ad Nalewkam ducens, nomen sortita est. Sacellum valde antiquum & mediocris magnitudinis habet cum magno cœmeterio, & pertinentibus ad illud domunculis pro Canonicis Regularibus, quorum hic fundus est, extructis. Per plateam latam autem illam incedenti, quæ portæ Neostadiensi a sinistris est, *Palatium Nuncii Apostolici*, totum ex lapide extructum, amplum satis & magnificum, cum Capella seu Oratorio itemque domicilio Clericorum Regularium, vulgò *Theatinorum*, quorum communitas non nisi ex solis Italis constat, a dextro latere occurrit; cui e regione fere

 obli-

oblique sita est *P. P. Piarum Scholarum Ædes S. cum Monasterio* & satis spatioso horto. In templo horum Religiosorum asservantur reliquiæ S. Primi & Feliciani Martyrum, a Rege Vladislao IV. illatæ, cui Romæ versanti, Papæ Urbani VIII. nomine a Cardin. Barberino donatæ fuere. In eadem hac platea speciosum etiam illud *Palatium* totum lapideum cernitur, quod ante triginta amplius annos, Palatinus quidam Plocensis, *Krasinski* prosapia, extruxit, & quod ab omnibus artem architectonicam edoctis, pro absoluto & magnificentissimo ædificio habetur; ast quod dolendum, quoad interiora nondum finitum, & ruinæ, plures ob rationes, valde jam expositum est. Hortus ab ipso Palatio in occidentem longe lateque extensus, quondam propter ficariam, fructus exoticos, & ambulacra ex tiliis adornata, pro præcipuo Warsaviæ reputabatur, jam neglectus valde & omni cultura spoliatus fere jacet. Latus hujus ædificii magnifici sinistrum cingit *Familiæ Załuscianæ Palatium*, quod vestibulo in specie, figuris ex lapide exsculptis, ornato, distinguitur maxime ab aliis, & quod nunc quidem Illustrissimus Dn. *Andreas Zaluski Episcopus Plocensis* incolit. In principaliori hujus Palatii conclavi, ad certa, quæ inter fenestras intercedunt spatia, accommodatæ extant Principum & Regum Poloniæ omnium, quæcunque haberi potuerunt, ex originalibus vel proto-typis translatæ effigies, usque ad nunc feliciter regnantem *Serenissimum AUGUSTUM*, quæ in tela amplissima eundem equo generoso insedentem, ad vivum repræsentat. Quinquaginta in universum numerantur tales effigies, quarum pictura possessori octo millibus florenorum constitit.

Ulterius hinc ab eodem latere situm est *Templum S. S. Trinitatis cum Monasterio Monialium S. Brigittæ regulam observantium:* & statim post illud *Armamentarium publicum* a Vladislao IV. Rege quondam extructum, quod ædificium Præfecto Generali Rei Armamentariæ Regni, ordinarie pro habitatione inservit. Ex altera parte hujus vici nullum amplius, præter

The-

Thesaurarii Magni Illustr. Prebędovii b. m. Palatium novissime splendida architectura extructum occurrit, usque ad illam plateam, quæ a mulso nomen habet, (*Miodovve Ulice*) in qua a dextris meridiem versus eunti *P.P. Capucinorum Templum* cum Clausura obviam venit, quod a Johanne Rege, ante hos 50. annos extructum fuit, Italis pro fundatione tunc accitis, a quibus etiam adhuc dum hortus duplex adjectus diligentissime colitur, & propter olera varia & lactucas, aliosque fructus, valde celebratur. Proximè his jungitur *Palatium, Radzivvilianum*, a Dominico Radziwilio Cancell. Magn. Ducat. Lithuaniæ quondam magnifica figura & forma erectum cum horto. Quantus Musarum Patronus fuerit hic Princeps, ex adjecta huic Palatio Bibliotheca & Museo rariorum Naturalium constare potest, quam curiosam suppellectilem a *Bernitio* Canonico Warsav. Bernhardi Medici filio, soluta sexies mille Imperialium summa, prout mihi narratum fuit, comparavit. Nunc revertendum nobis, per magnum quidem ambitum Occidentalem plagam versus, erit ad *Leśnam*, quæ non minus ac *Nalevvka*, post Armamentarium sita, & nullis ædificiis singularibus clara, specialem suburbiorum Warsaviensium partem vel potius appendicem cum jurisdictione propria constituit. *Leśna* ab Illustrissima Lesinciorum familia, a quibus quondam fundata, appellata est: sita in editiori loco, si cum urbe comparetur, utpote novem pedes Geometricos, altitudine urbis cum Arce situm superans, & circumferentia sua omnem terram occupans, quæ ab Armamentario & *Nalevvka* ad *Grżybovviam* usque extenditur. Ædificium in Leśna est præcipuum *P. P. Carmelitanorum Templum & Monasterium*, in superiori parte occasum versus locatum; a tergo huic adjacet locus ille, qui Augustanæ Religionis addictis incolis pro cœmeterio a Johanne Casimiro Rege, privilegio singulari concessus & donatus fuit. Præterea a plaga Urbem spectante Orientali *Palatium cum Horto, Leśinciorum residentia*, quod jam ab aliquot annis Palatinus Kyoviæ, ex Potociorum gente, possidet,

det, & per reparationem ſumptuoſam, multum in ſplendore auxit. In extremitate *Grzyboviensis* ſuburbii, quod a *Leśna* Meridiem verſus extenditur, *Palatii* ſpecioſi ac valde ampli, *fundamenta ac rudimenta*, quoad externam lapideam molem ad tectum usque, evecta, cernuntur, quod Comes Sapieha Capitanei Bobrovienſis Parens extruere curavit, a quo per matrimonium ad Radziwilios transiit: aſt per triginta fere annos jam neglectum, & per aëris & tempeſtatum injurias, interitui proximum. Sequitur *Vielopolienſe ſuburbium*, quod a *Grzyboviensi* meridiem magis ſpectat, in quo autem nullum conſideratione dignum ædificium; Transeunti autem hoc Urbem verſus, omnium oculos facile in ſe convertit, *Supremi Mareſchalci Illuſtriſſimi Dni.* Mniszek *Palatium*, quod ex Kaliſienſis Palatini quondam reſidentiæ ruderibus & fundo, totum novum, curante tunc ſtructura & architectura Generali Münchio, magnifica mole erexit, ſimulque hortum adjacentem cura ac deliciis multum auxit, qui jam antecedente tempore parem non habuit per totam Warſaviam, propter Cataractam arte ibi ex ingenti lapidum mole extructam, quæ aquam ex altiori aggeris loco, ad pelvim lapideam capaciſſimam præcipitat. Cum hoc Palatio Septentrionem verſus jungitur *Regis Pruſſiæ territorium*, quod ſingulari, præ omnibus aliis exteris Potentiis prærogativa, quondam, pro perpetua Legati ſui reſidentia acquiſivit.

P. P. *Reformatorum, qui S. Franciſci regulam obſervant, Ædes S. & Conventus* ex regione horum ædificiorum, Meridiem verſus, ponitur, in quorum horti medio Palatiolum ex lapide extructum cernitur, quod Regi Johanni III. quondam & noſtro Sereniſſimo Auguſto aliquoties pro ſeceſſu, tempore ſeptimanæ ſanctæ, inſerviit; præterea multus in hoc horto fructuum proventus, & in ſpecie juglandium arborum, quæ nullibi fere quam hic per Warſavienſe ſolum inveniuntur. Ad muros templi & monaſterii hujus appicta miraberis ex omni mundi plaga Sciaterica Horologia, vario modo adornata,

opera

opera *Bonaventuræ* cujusdam *Patris*, Mathematici insignis, qui ante triginta fere annos in hoc Conventu degebat, ex majori Polonia quidem orti, ast qui in alio postea P. P. Reformat. Monasterio Lithuaniæ, diem suum obiit.

Magnificum autem illud ædificium, omnium fere totius Warsaviæ spatiosissimum & amplissimum, quod *Mariævillæ* nomine clarum est, a Reformatis P. P. Orientem versus locatum, & a Serenissima Regina Maria Ludovica Casimira in sui memoriam quondam magnis sumptibus totum ex lapide lateritio, cum sacelli rudimentis in oppositæ fronti Palatii partis medio locatis, extructum. Ipsum ædificium semilunarem fere figuram, patente interius spatiosissima area, octingentos & quadraginta pedes geometricos in circumferentia continente, repræsentat: inferiori parte ex utroque latere porticu distinctum est, ita ut incolæ per totam circumferentiam a cœli injuriis liberi transire possint: domus autem vel habitationes, quarum numerus ad triginta duas accedet, mercatoribus maximam partem, in specie exteris, a longo tempore pro mansionibus inserviunt, ut non incongruè curiam vel byrsam mercatorum quis nominaret.


E regione splendidi hujus ædificii, Patres S. J. *Regni*, ad distinctionem Lithuanorum ita vocati, *Terragium*, uti appellare solent, possident, quod Celsissimus Princeps & Primas Regni hujus temporis, POTOCIUS gente, sacello cum duplici domicilio ex fundamentis lapideo ornavit, & adhucdum variis ædificiis & palatio lateraliter juncto perquam magnifice auget. Aliud *Palatium prœaltum* a sacello ex postica parte paulo remotum, & ad ipsum Terragium pertinens, antiquum, figura quadrata oblonga cum tecto plano & fastigio pinnato, cujus cancellis statuæ lapideæ pulchro ordine impositæ sunt, ab Illustr. Danielowicio Regni Thesaurario magno, anno 1621. fuit extructum: cujus palatii ornamenta autem circa annum 1660. a Suecis in direptione Warsaviensi multum fuere destructa. Ex Mariævillæ regione dum

ad civitatem pergimus, duo præcipua adhuc occurrunt ædificia sibi invicem e regione posita: *Primatiale* nimirum & *Episcopi Cracoviensis*, quorum possessio semper his Prælaturis annexa est.

Quæ a Cracoviensi porta ad Neostadiense suburbium ducit vicuum extensio mœnibus & fossæ civitatis adjacens, & communi nomine *Podvvale* appellata, nullum insigne præter *Metropolitæ Lithuani Palatium* cum sacello, in quo Sacra pro more sic dictorum Unitorum Religionis Græcæ, per totam fere Lithuaniam & Roxolaniam dispersorum, celebrantur publice, & *Gedanensium Villam puburbanam* in se comprehendit: de qua ultima notandum, quod nulla ex Prussiæ civitatibus, præter Gedanum, Warsaviæ possessionem habeat & fundum: magnum autem hæc villa occupat spatium, cum antiquo quidem & ex lignis extructo ædificio, Secretarii Gedanensis Reipublicæ ordinaria residentia, amplo autem & bene disposito horto. Ex regione hujus est Porta Lateralis, (*Pobozna Brama*,) quæ ex suburbio hoc & Podwale ad civitatis partem illam ducit, quæ *Dunaia* appellatur.

Maximum vero decus Warsaviæ, ut hinc Orientem & Arcem versus iterum retrahamus pedem, mihi videtur esse *Colossus* ille, qui cum statua & effigie ænea inaurata Sigismundi III. Gloriosissimi Regis, in eminentiori loco prope portam Cracoviensem locatus & erectus cernitur. Ipsius columnæ ex marmore solidæ, sine fastigio cum statua dicta, & stylobata, altitudo viginti & sex pedes geometricos fere superat: est autem hæc columna ex Corinthiacarum genere, elaboratiore epistylio, crispatura sua acanthi aut helicis in se ipsam redeuntis folia imitante: stylobatæ autem vel fulcimento, in pila oblonga quadrata, sequentes æneæ tabulæ inscriptas atque inauratas invenies literas:

p. 19.



COLOSSUS WARSAVIENSIS.

PATRI PATRIÆ
PARENTI OPT. MER.
ANNO DNI. MDCXLIII.
PONI JUSSIT
CUI JAM
GLORIA TROPHÆUM
POSTERITAS GRATITUDINEM
ÆTERNITAS MONUMENTA
POSUIT AUT DEBET.

Ad *Orientem:*

SIC COELO SIC TERRIS
SIGISMUNDUS III.
PIETATE INSIGNIS ET ARMIS
GEMINÆ GLORIÆ MERITO
SESE APPROBAVIT
HINC GLADIUM
INDE CRUCEM
TAM FORTI QUAM PIA MANU
TENET
ILLO PUGNAVIT
IN HOC SIGNO VICIT
SUB HOC INSIGNI VIXIT
SECURUS INVICTUS FELIX
NUNC FELICITATE
QUAM TERRIS DEDIT
GLORIOSUS
QUAM COELO MERUIT
BEATUS.

Ad *Orientem sub Armis*
Regiis Coronatis:

NON STATUA ERIGITUR, NEC CÆSO GLORIA MONTE
FULTA SIGISMUNDI: MONS ERAT IPSE SIBI.

NEC

NEC FULGOREM AURO, ROBUR NEQUE SUMIT AB ÆRE,
AURO FULGIDIOR, FIRMIOR ÆRE FUIT.

M. Daniel Thym, S. R. M.
Fuſor Warſaviæ fecit
A. D. 1644.

De columna autem ipſa ſciendum, quod ex Polonico marmore confecta ſit, teſtante autore *Poloniæ Defenſæ contra Barclajum p. 54.* his verbis: *Sigismundus III. Rex, Checinum prope, (quod in Cracovienſi Palatinatu eſt) Columnas marmoreas binas excidi juſſit, altitudine pedum fere duo de quadraginta. Sed, dum extrahuntur, & machinæ ponderi non ſufficiunt, una per medium fracta: Alteram vero nuper Vladislaus Rex ſtatuit Warſaviæ, & memoriæ Patris ſui dedicavit.* Miror interim, quod Eques Galliæ de *Beaujeu*, vel ſicuti *Hoppius ipſum in Sched. de Scriptor. Polon. cap.* 19. nominat, *Dnus. Dalerac*, materiam hujus columnæ pro Jaſpide vendidet, ſequentibus: *Warſovie n' ariende remarquable, point de monumens antiques, ſoit batimens ou Tombeaux; & je n'ay point veu de Capitale ſi denuée. Ou voit ſeulement hors la Porte principale, qui touche au Chateau, une Colonne ronde d'une piece de Jaſpe du marbre rare, ſur un piedeſtail, aſſez bien executé, qui porte la ſtatue de bronce de Sigismond III. tenant un ſabre d'une main, & une grande Croix de l'autre. Memoires du Chevalier de Beaujeu, p. 146.*

Monumentum hoc inſigne ſatis jam celebratum, indicat non procul hinc eſſe *Arcem Regiam*, quam ipſe Sigismundus III. in formam hanc, qua nunc apparet, reduxit. Ita autem locata eſt, ut interior ex civitate acceſſus per portam ornatiſſimam & præaltam, Occidentalem plagam; latus alterum & proximum in ſuburbio Cracovienſi, Meridiem; tertium & longiſſimum Viſtulæ impoſitum littori, Orientem; & quartum, quod per Capituli & Canonicorum ſedes cingitur & cum his quaſi confunditur, Septentrionem ſpectet. Hæc maxima ſui parte ad decus & elegantiam exteris parem a magiſtris architectisque Italis, illo tempore perducta eſt, ſatis ſpecioſo ambitu, lapidibus partim cæſis, partim co-

ctis constructum: tres autem fere ejus distinctiones sunt: cujus prima, quasi vestibulum ab occasu, *Castrum* continet sic dictum, Polonicè *Grod*, in quo Capitanei Warsaviensis jurisdictio administratur, cum aliis quibusdam officinis Regiis, ad quas Apotheca Regia pertinet: altera *proprie sic dicta Arx*, quadratam fere figuram repræsentat, cujus area interior conficit in circumferentia sexcentos & quadraginta pedes geometricos, & Senatorum Conclave, Nunciorum Stubam, omnique ad Regis residentiam pertinentia, itemque in inferiori loco ad dextram & meridionalem partem, Archivum Regni, in singulari fornicato conclavi, in se continet. Picturæ antiquiores in conclavibus Regiis ab Italo pictore celebri, *Dolabella*, factæ narrantur: in specie occupatio urbis Smolenscii, & actus ille publicus, quo in Comitiis Gostinensibus exercitus Poloniæ Imperator Zolkiewius, in Senatorum Regni præsentia, Suiscium Magnum Moscoviæ Ducem, Regi captivum tradidit. Ast egregia hæc pictura, quod dolendum Sarmatis, in ultimo bello Suecico, a Petro Russorum Cæsare, D. M. ablata & in Moscoviam transmissa fuit, quod, prout dicitur, cum monumento superius descripto patrare etiam voluit, nisi indefessæ contra hanc violationem Senatorum quorundam instantiæ, hoc impedivissent: *tertia Arcis distinctio*, Thesaurarii Oeconomiarum Regis habitationem, & alias officinas cum culina Regia continet, & per singularem portam, ad cœmeterium S. Johannis reducit. Sub ipsa autem immediate Arce ad Vistulæ ripam, *Palatium* egregium *Lubomirianum*, quod a tecto ex ferreis laminis confecto, *Blachany Palac* Poloni appellare solent, jacet, ab ultimo Cracoviensi Palatino piè defuncto, in magnificam hanc & elegantiorem formam redactum.

Proximè deinde ad Arcem Regiam, meridiem versus adjacet *Monialium S. Francisci regulam observantium Ecclesia & Monasterium*: & quod per viam publicam ad Vistulam ducentem separatur ab hoc *Patrum ejusdem Ordinis ac Regulæ* Conventus cum

cum templo amplissimo, & subjecto his acclivi horto ad Vistulam excurrente. De his notandum, quod prout in Italia Cistercienses, ita P. P. Minoritæ de Observantia, passim in tota Polonia vocentur *Bernardini*, desumpta ejusmodi denominatione ab Ecclesia S. Bernardini Cracoviæ, ad quam primum in Polonia obtinuerunt monasterium: simili prorsus modo Parisiis Patres Dominicani vocantur Jacobitæ ab Ecclesia S. Jacobi in platea ejusdem nominis sita. His Religiosis immediate fere jungitur lateraliter, *Virginum a Monte Carmel appellatarum Clausura*, angustioris ambitus cum sacello viam publicam spectante, ipsum cœnobium autem cum hortulo & aula, Vistulæ imminet. Sequitur in eadem serie ac latere vici & suburbii Cracoviensis *Patrum Carmelitarum egregium ædificium Monasteriale* cum templo magnifico & area, amplissimo ambitu, ad quorum fundationem primam occasionem dedisse fertur *Wesseliorum Comitum*, antiquissimæ alias familiæ Sarmaticæ, liberalitas & munificentia. Possident hi Religiosi bibliothecam etiam non spernendam, quæ in secunda monasterii contignatione in oblongo quadrato conclavi continetur, & duplici ad altitudinem ordine, Oxoniensis ad instar, locata est: ipsi librorum loculi vel repositoria nitide sunt constructa & lazureo colore obducta, librorum numerus mediocris valde, ac sine decenti ordine dispositus est. Prima hujus bibliothecæ fundamenta autem Patres, *Zabrzeski* cuidam, Nobili ex antiqua familia, Musarum filio & Patrono, Pincernæ quondam Drębolienſi, in acceptis ferunt.

Latus hujus Ædificii Sacri sinistrum cingit *Palatium Radzivilianum*, ingens illa & magnifica structuræ lapideæ moles, quæ longe lateque extra urbem, præsertim ab Orientali plaga advenientium oculos ad se trahit: cui subjacet hortus in acclivi ad Vistulæ littus excurrens, qui omni tempore propter delicatissimorum fructuum proventum apud Warsavienses fuit celebratissimus. Transeo *Czartoryskianum Palatium*, quod nuperrime multa amplificatione & magnis ornamentis auctum

fuit;

fuit; & ad præcipuum illud monasterium & clausuram me confero, quæ *a Visitatione Beatissimæ Virginis* nomen habet, cum sacello parvulo quidem adhuc dum, sed quod in majorem molem & capacitatem jam ex fundamentis erigitur; hortus adjacet spatiosissimus, oleribus & fructibus copiose hic crescentibus, monialium sustentationi inserviens: fundatum fuit hoc monasterium a Ludovica Maria Regina, Vladislai IV. & Joh. Casimiri olim uxore.

Monet nos *Illustre Casimirianum nomen*, *Palatii* huic ædificio sacro *vicini*, hic mentionem facere, quod alias optimæ architecturæ splendidum fuit exemplar, jam autem ab aliquot & viginti annis per incendium destructum, penitus in ruinis jacet, una cum horto, variis deliciis & magnificis operibus ac structuris quondam ornato, nunc autem non desolato saltem, sed etiam ante aliquot annos, jussu Serenissimi Regis funditus everso, ut ne vestigium quidem horti amplius jam repræsentet: quantum autem & in Botanicis cultus fuerit antea, ex solo *B. Bernitii Catalogo Plantarum Warsaviensium*, cognosci potest, qui eo tempore ex hoc & illo horto, qui sub Arce erat, quod hortenses attinet, omnem plantarum recensionem confecit.

Sinistrum hoc suburbii Cracoviensis latus magnifico aspectu finiunt *Chomętowskianum & Zamoscianum Palatia*, utraque in elatiori colle, cujus altitudo 50. fere pedes geometricos a Vistulæ alveo in planitie sito, differt, intercedente magno & profundo convalli, locata: longe autem prius magnificentia, mole & adjacente horto latissime extenso, superat *Zamoscianum*, cujus fundamenta, propter declivem situationis partem, stupendo opere ac labore triplici fornicum constructione stabilita sunt, tantæ simul sumptæ capacitatis, ut legionem militum sub his abscondi posse, non temere a quibusdam affirmetur. In hujus palatii prospectu ad latus meridionale & dextrum apparet ædificium lapideum magnum, quod ex fundatione modo laudatæ Reginæ Mariæ Ludovicæ, *Hospitale*

tale pauperum orphanorum conſtituit, & ratione territorii Soleco extra Warſaviam ſito annumeratur.

Revertendo jam ad alteram & meridionalem ſuburbii Cracovienſis, per vicum (*Novvy Svviat*) appellatum, partem, *Eccleſia Sanctæ Crucis*, primum conſiderationis meretur locum: Illuſtrisſimum & quoad fundationem & ipſam etiam ſtructuram, ædificium, & tertiam in ordine Warſavienſium Parochiam conſtituens: quæ anno 1626. quidem jam hac dignitate gaviſa fuit, anno 1653. autem, ſedata peſte, quæ tunc Warſaviam infeſtabat, auſpiciis Serenisſimæ Reginæ Ludovicæ Mariæ Gonzagæ, cujus jam mentio antea facta fuit, demum ſacerdotibus congregationis Miſſionis, quorum quatuor Pariſiis ex Presbyteris congregationis hujus ad St. Lazarum Regina antea anno 1651. accerſiverat, in perpetuam poſſeſſionem conceſſa fuit, confirmante Floriano Czartoryskio, tunc temporis Epiſcopo Posnanienſi, anno ſc. 1655. Et dici poteſt, hoc tempore toti, non dicàm Warſaviæ, ſed Poloniæ auſpicatiſſimum ac feliciſſimum ortum fuiſſe ſidus, horum Presbyterorum adventu, per ſaniorem enim ſtudia tractandi methodum, Gallicæ accommodatam, & ſingularem ad frugalitatem, & temperantiam compoſitam vivendi rationem, mirum quantum ad morum correctionem apud Sarmatas contribuerunt: templum hic videbis ſplendidisſimum & valde ſpatioſum, monumento Eminentiſſ. Cardinalis Radziewskii, qui magnus hujus congregationis patronus fuit, cum ænea inaurata ſtatua, ex marmore conſtructo, ſuperbiens præ cæteris: bibliothecam hi Presbyteri etiam posſident non ſpernendam, benè ordinatam ac cultam, quæ magna ante aliquot annos accesſione fuit aucta per manualem Cardinales Dönhofii librariam ſuppellectilem. Hortum quod attinet, qui monaſterio adjacet & ad meridionalem plagam longè lateque extenditur, hic inter primos Warſaviæ merito numerandus, propter cultum ſingularem, & fructuum ac olerum proventum, quibus magnæ Warſaviæ parti proſpi-

D cere

cere in uſum neceſſarium, poſſunt. Limitibus hujus Parochiæ includuntur:

1. *Conventus PP. Reformatorum,*
2. *Monaſterium PP. Carmelitarum,*
3. *Monialium Carmelitar. Clauſura,*
4. *Viſitationis Beatiſſ. Virg. Mariæ Monaſterium,*
5. *PP. Dominicanorum ſtrictioris obſervantiæ Ædes S. & Domus,*
6. *Hoſpitale pauperculorum orphanorum in Solec.*
7. *Hoſpitale S. Rochi pro infirmis.*
8. *Hoſpitale S. Crucis pro vetulis.*

Parochiali huic Eccleſiæ e regione lateraliter reſpondet ſitu & locatione *Sacellum Moſcoviticum*, quod Victoriæ de Moſchis trophæum & monumentum quondam continebat, ſepulchrum nimirum *Baſilii Suiſcii*, qui Magnus Moſcoviæ Dux & tot populorum Aſiaticorum declaratus Imperator, cum duobus fratribus Anno C. 1613. captus, ac dolore ac mœſtitia confectus, primo cuſtodiæ anno *Goſtini* Palatinatus Ravenſis oppido, in carcere vitam una cum fratre *Demetrio* finivit, hic autem Warſaviæ ſepultus fuit: Quorum corpora, poſt initam cum Michaële, ſucceſſore ipſius, pacem, Vladislai IV. Regis permiſſu, in Moſcoviam tandem revecta fuerunt.

Sed convertimus nos iterum ad S. Crucis Eccleſiam, ubi a ſiniſtris nobis occurrit *Palatium Sieniavvskianum*, p. d. Caſtellani Cracovienſis & Magni Ducis Exercitus Polon. opus, quod eò ſpectabilius, quo magis ſpatioſum; in tota circumferentia cum area & horto repræſentat figura ſua quadratum regulare oblongum, cum adjacentibus officinis totum lapideum. Hinc meridiem inter, & occaſum verſus per novum vicum transeundo, qui veſtibulum palatii & horti Regii claudit lateraliter, invenies *villam ad Capitaneatum Warſavienſem pertinentem*, & proximum huic *Palatium Bielinskianum*, quod h. t. Palatinus Culmenſis totum ſuperba ſtructura ædificavit cum horto deliciis ac decore nulli ſecundo.

Tan-

Tandem, quod primo loco nominandum eſſet, ſecundum ductum autem noſtrum ultimum, & Cracovienſe ſuburbium claudens, *Palatium & hortus Regius* cum omnibus ad ipſum ſpectantibus ædificiis, in conſpectum venit, qui *cum Sendomiriano palatio & horto*, quæ poſt obitum Principis Lubomirii, Capitanei Sendomirienſis, ultimi Ordinationis Oſtrogienſis Poſſeſſoris, in Regis poſſesſionem cesſit, tantum occupat ſpatium, ut quater mille pasſibus & ultra, circumferentia ejus vix emetiatur. Ex parte enim illa, quæ e regione monaſterii Viſitationis B. V. per foſſam à reliquo ſuburbio diſtinguitur, & introitum ad Palatium ſuppeditat, longe extenditur meridiem & occaſum verſus, Reformatorum PP. Monaſterium & hortum, & Vielopolienſe ſuburbium lateraliter ab occaſu reſpiciens: Et ut de *Sendomiriano Palatio* incidenter hic aliquid moneam, fuit hoc, quoad architecturam ornatiſſimum quondam ac valde ſuperbum, nunc autem, poſt incendium, quod ante aliquot annos, tectum conſumpſerat, & poſtquam ſtatuis ac figuris lapideis, quibus decoratum erat, privatum fuit, valde, ut ita dicam, humiliatum, & quia Regio palatio, quod altitudine ac ſpectabili forma fere ſuperat, nimis propinquum, ulteriori depresſioni, ac fortasſis totali deſtructioni proximum eſt. *Palatium Regium* ipſum quod attinet, fuit hoc quidem, præterito proximè ſeculo, â Theſaurario Regni magno, gente & familia Morſteinio, una cum adjacente horto ædificatum, qui ultimus autem per acquiſitiones varias ædificiorum, villarum ac hortorum, in immenſum fere à Serenisſimo nunc glorioſe regnante, extenſus, ac circa medium ædificio novo vel patente Porticu prææalta ac ſuperba, variisque hinc inde locatis ac pulchro ordine diſpoſitis pergulis, ſecesſibus delicioſis ac machinis luſoriis auctus; ut de hybernaculo toto lapideo, & ingenti arborum exoticarum, Citrea & Aurantia poma ferentium, Laurorum &c. non mediocrium, ſed juſta ſtatura & perfectione cum Italicis ac Hiſpanicis certantium, copia nihil dicam. Maxime autem notatu dignum, ambula-

bulacra illa omnia ex tiliis adornata, quæ ex utroque latere horti longitudinem duplici ordine emetiuntur, atque hinc inde reliqua ædificia horrenſia cingunt, brevi tempore, intra ſex fere annorum ſpatium, ad tantam decem ulnarum & quod ſuperant, altitudinem ac perfectionem, non ſine magno labore ac ſtudio Præfecti Hortorum Regii, perducta fuiſſe, ut cum aliis, quæ ante 30. ultra annos plantata fuere, facilè certare poſſint de præferentia. Præterea per totam horti longitudinem ad magnam porticum usque, inter pulvinorum deſcriptiones, decentesque areolarum tractus, maximam miraberis ſtatuarum inauratarum varietatem, & ſummam proſpectus amœnitatem ac magnificentiam. Ita, ut ómnia fere hic invenias ornamenta imitata, quibus Romanorum horti olim ſe commendaſſe in monumentis veterum legimus. Romanorum enim horti non tam ſolerti ſe commendarunt agri cultione & pomariorum utilitate, quam ſummo ſtatuarum, tabularumque ſplendore, pavimentorum concinnitate, piſcinarum amplitudine, & ſumptuoſa præſertim ædificiorum magnificentia.

Hortum hunc Regium, in ſeptentrionali plaga claudit *Palatium Orzelskianum*, quod ex Potociana quondam Warſavienſi reſidentia, Regio juſſu, auſpicio, directione ipſa, ac ſumptibus, in ſuperbam hanc molem, vix ſemeſtri temporis ſpatio, fuit erectum: ad cujus ornatum internum, pretioſiſſima & pulcherrima aulæa, artificioſas picturas, ſuppellectilem ſuperbam ex omnibus fere orbis partibus accerſitam, quibus nunc radiat & corruſcat, omnes qui intuentur atque aſpiciunt, ſtupeſcunt merito.

Finio hæc, quæ de Urbis Warſavienſis conditione recenſui generaliter hactenus, omnia, poſtquam paucis adhuc monuero, omnes *Balneas publicas & Macella* etiam, extra mœnia civitatis in ſuburbiis, prudenti majorum conſilio, eſſe locata. Et illas quidem maximam partem in Neoſtadienſi ſuburbio, ac ſpecialiter in vico, qui ad prætoriani militis

vil-

villam & castra, vulgo *Caserne* appellata, ducit, ad dextram, sic ut ultima etiam totius hujus suburbii ex hac parte, lapidea domus balneum publicum in se contineat; reliquæ circa Prochophylacium & ad Vistulæ ripam, nonnullæ etiam in Cracoviensi suburbio, inter Monialium & Monachorum Carmelitanorum ædes, inveniuntur: hæc autem, *Macella* puta, primaria quidem juxta mœnia, in pomœrio, quod Podwale appellatur, non procul a Cracoviensi porta, sunt sita, reliqua in Novæ civitatis foro, circa Armamentarium, & tandem in Cracoviensi suburbio, e regione templi S. Crucis, prostant. *Piscatorium forum* autem, in illa civitatis abjecta parte, intra mœnia est, quæ *Dunaia* ab incolis appellatur.

CAP. II.

De Aëre Warsaviensi, quo Soli & Terræ etiam conditiones includuntur.

ADeò consuetus nobis est ac familiaris *Aëris* usus, ut nec centesimus quidem de necessitate ejus ad vitam, nedum de mirabili ejus constitutione cogitet, nisi casu & fortuito, per momentaneam ipsius subtractionem, obturato ore, vel compresso fortius gutture, convincatur, quod, nec per minutum horæ, Aëre, sine manifesto vitæ periculo, carere queat. Cum igitur adeo manifesta sit ipsius ad vitam nostram utilitas, illi magnam apud omnes ingenuos merentur gratiam, qui naturam hujus, ut cum vulgo loquamur, elementi, accuratius examinare fuerunt conati. Constat autem per recentiorum Philosophorum industriam & experimenta, *Aërem* esse quoddam quasi vellus & lanuginem ex omnis generis effluviis conflatam, & immenso quodam spatio globum terraqueum obsepientem, neque hinc tantum continuatam, sed & supra eum ad æthe-

æthera elatam, cujus ætheris omnia permeantis ac penetrantis tenuitate & agitatione Aër temperatus, vitalem & salutarem omnibus animantibus motum præbet. Et cum partes ejus plicatiles, ut lanæ stamina, aliæ aliis incumbant, necesse omnino est, inferiores superiorum pondere pressas magis arctiusque junctas, in densum magis spissiusque & gravius abire corpus, quo scilicet terræ sunt propiores. Ex qua Aëris descriptione patet, duplices in hoc considerandas esse qualitates, gravitatem nimirum atque Elasticitatem. Et gravitatis quidem existentia jam à longo tempore innotuit Philosophis: Licet enim plurimi existiment, antiquos Aërem non aliter considerasse, quam ut corpus quoddam leve, quod elevatur virtute propria, vel quod ad minimum est sine gravitate, inventi tamen & inter illos saniores quidam fuerunt, qui Aëris gravitatem agnoverunt naturalem, ex quibus nec vetustissimis temporibus ipse *Aristoteles* excludendus, qui *Lib.* 4. *de Cœlo, cap.* 4. (*) dixit: *Uter inflatus gravior est, quam compressus.* Error autem communis de levitate propria Aëris per vulgus duravit fere continuo usque ad illa tempora, ubi per Barometra, Antliam Pnevmaticam & alia instrumenta demonstratum fuit ad oculum, Aërem esse corpus grave, & pondus ejus posse determinari. Ita Clariss. Magdeburgensium Consul *Otto Gerickius* Aëris gravitatem per accurate instituta experimenta demonstravit: longè autem ante ejus tempora *Galilæus*, & post illum iterum *Torricellus*, *Mersennus*, *Boylæus*, *Hugenius*, hoc negotium omni adhibita diligentia tractarunt. In specie *Torricellum* quod attinet, sciendum, illum per notissimum jam tubum, quem Barometrum appellamus, mediante Mercurio, Aëris phænomena, quoad gravitatem explicasse: qua occasione non possum, quin in honorem Poloniæ & in specie Urbis Warsaviensis mentionem hic faciam, mona-

(*) Ἐν τῇ αὐτοῦ χώρᾳ πάντα βάρος ἔχει καὶ ὁ ἀήρ. Σημεῖον δὲ ὅτι ἕλκει πλεῖον ὁ πεφυσημένος ἀσκὸς τοῦ κενοῦ.

monachi cujusdam curioſi Capucini, *Valeriani Magni* nomine, natione Itali, qui anno 1647. menſe Julio, coram Sereniſſ. Poloniæ Rege Vladislao IV. & Ludovica Maria Regina, ac deinde coram multis Theologis ex diverſis religionum ordinibus ad id ſpectandum a Rege & Regina vocatis, experimenta conſiſtentis in tubo aperto Mercurii fecit, ut ipſe quidem *Valerianus* teſtatur in *opuſculo ſuo de Vacuo*, eodem anno ac menſe ſcripto. Opuſculum hoc cum viderit *Robervallius Pariſienſis* in Regia Academia Profeſſor, ac Valerianum nobilis hujus inventi honorem ſibi vindicare putaverit, eodem anno ad *Dn. de Noyers*, qui præſens inſpexerat omnia, quæ Warſaviæ peregerat *Valerianus*, dedit epiſtolam, & prolixe probavit, experimentum memoratum jam anno 1643. in Italia ab *Evangeliſta Torricello M. D. Hetruriæ Mathematico*, evulgatum fuiſſe. Ad eam *Robervalli* epiſtolam ſuam expedivit Apologiam eodem anno *Valerianus*, qua diſertis verbis negat ſe dicere illius arcani autorem, eſſe tamen ſe fortaſſe primum, qui ſcientiam ejus arcani ſuam (de qua ſola verba ſua voluerit intelligi,) typo publicam fecerit &c. Negat porro, ſe unquam vidiſſe vel Romæ *Angelum Ricci*, vel Florentiæ *Evangeliſtam Torricellum* aut nominetenus ſaltem noviſſe, occaſionem autem conſilii de ſuperanda impoſſibilitate vacui capiendi, ſibi dediſſe, tum Galilæi quondam obſervationem, quod aqua nequeat per attractionem aſcendere in fiſtula, ultra cubiti decimi octavi menſuram, tum uſum libræ Archimedis, quam Cracoviæ Anno 1644. dono acceperat à *Tito Livio Buratino*. E quibus omnibus evidens eſt, quod *Valerianus Magnus* non tam inventoris primi gloriam aucupatum ſe, quam in id ipſum experimentum, nemine docente, propria induſtria incidiſſe, demonſtrare voluerit, id procul dubio ſupponens, quod *P. Schottus* iterata vice in hac eadem controverſia defendit, non repugnare, plures eodem tempore, rem eandem detexiſſe.

Hæc de experimento hoc Aëris gravitatem demonſtrandi per Barometrum Warſaviæ primo inſtituto, incidenter dixiſſe non piguit. Utilius autem erit ſingulare quoddam ex centum aliis allegare argumentum, quo incredibilis Aëris gravitas per optimam conſequentiam deducitur, & quod nuper à *Batavo* (*) quodam *Medico* curioſo allegatum prolixius invenimus. Scilicet ex poſtulato illo, quod Aër craſſior, globum noſtrum ambiens aliquot mille cubitos ſuperet altitudine (*Sinclarus* 6867. paſſus numerat in altum exporrecti ſibique perpendiculariter incumbentis Aëris,) vult per totam corporis noſtri circumferentiam ſemper incumbere Aëris columnam pondus ad minimum viginti mille librarum exæquantem: nihil itaque impediret, quin per tantam molem contereretur homo robuſtiſſimns, niſi obſtaret ipſum Aëris æquilibrium, ex omnibus circum circa partibus æqualiter extenſum ac jugiter premens: quod ſi poſſibile eſſet, repente ex altera parte ſaltem, totam Aëris columnam recedere, idem ex oppoſito latere nobis accideret, quod illi, qui celerrimo jactu eliſam contra corpus ſuum ponderis e. g. decies mille librarum molem experiretur.

Hæc de gravitate: Elaſticitatis autem Aëris alia eſt ratio, per quam patet, Aërem terram complectentem, atque à ſuperſtantis pondere compreſſum & ſtipatum continuo ſeſe pandere atque evolvere niti, ut niſi a circumjectis corporibus urgeatur paſſimque cöerceatur, ſponte ſua ſe explicet, atque in amplitudinem locumve plus decies millies majorem ſuapte vi dilatetur. Quem Aëris elaterem exemplo goſſypii, lanæ, pilorum, ſpongiarum, plumarum olorinarum, atque in ſpecie Arcticæ vel Islandicæ volucris *Eider* dictæ lanuginis, quæ omnia tenſa & compreſſa, in contrario perpetuoque ſe reſtituendi pandendive niſu verſantur, facillimè demonſtrare poſſumus: uti quidem in dicta volueris Arcticæ lanu-

(*) *Bernard Nieuwentyt Exiſtence de Dieu, Lib. 2. Cap. I. p. 188. ſqq.*

lanugine *Eiderdon* appellata curiosissimum & incredibile fere, quod tres hujus libræ in palmarem globum facile cogi possint, quæ suæ expansioni relictæ, culcitram vel stragulum quinque pedes longum & latum expleant. Præterea experientia docuit, Aërem opportunis machinis non solum ita comprimi cogique posse, ut vix ejus, quo antea continebatur spatii, partem decimam implere videatur; sed etiam ita subinde distrahi, ut vix modum distractionis invenire liceat: fidem faciunt Sclopeta pnevmatica & alia complura, quæ apud *R. Boyleum* invenimus, Tract. *de Vi Aëris Elastica & de mira Aëris rarefactione*, ubi *Experimento II.* demonstrat, unicam bullulam Aëris compressam, per singulare Antliæ beneficium plus 13769.*ies* auctam fuisse. Aër autem non tantum per hujus circumfusi ablationem, antliæ experimento & auxilio, verum etiam a languidissimo tepore & aucto postea calore, minus aut magis expandi potest. Unde hyemali tempore multo densior est Aër atque compactior, quam sub æstivis caloribus utplurimum, utpote a quibus insigniter expanditur, & Mercurium in tubo Torricelliano altius tunc deprimit, quam gelidis temporibus.

His & aliis modis Aëris elasticitas æque ac gravitas demonstratur a Physicis: magis autem ad propositum nostrum faciet, si ipsas Aëris, quoad gravitatem potissimum conditiones & contenta considerabimus, ubi patebit, effluvia & emanationes corporum fere infinitorum volumen Aëris constituere, e. g. omnes odores, omnes fumi & vapores corporum quæ comburuntur & putrescunt, exhalationes marium, lacuum, fluviorum, stagnorum, particulæ ignis & rerum omnium combustibilium, quæ accenduntur, nitri e. g. sulphuris, concretorum acidorum & Alcalinorum invicem fermentantium, i. e. omne id quod volatile est urinosum, miscentur cum Aëre & colliguntur in eodem tanquam communi reservatorio. Et hoc sciendum, quod omnia illa effluvia corporum tam solidorum quam fluidorum in Aëre hærentium,

eandem retineant qualitatem & proprietates,quas ante quam cum ipſo miſcerentur, habebant, ſicuti ad oculum demonſtravit *Rob. Boyle in Tract. de Atmoſphæris Corporum Conſiſtentium.* Exemplo poſſunt eſſe craſſiore, cineres ex montibus ignivomis ad aliquot milliaria inſenſibili modo ad longe diſtantia à montibus illis loca translati. Sic Neapoli frequenter obſervatum fuit, cineres ex Veſuvio ad aliquot pollicum altitudinem plateas contegere, &, ſi Hiſtoricis fides habenda, aliquando cineres ex Ætna Siciliæ, Byzantium usque, per tantum Aëris ſpatium, transvecti fuerunt. Aſt, ſingulari Dei beneficio Aëris corpus cum omnibus his ſuis contentis eſt fere inſenſibile; quod ſi non eſſet, magnum certe incuteret metum, ſi quis in illo continuo fluctuantes conſpiceret, venenatas etiam ac funeſtas particulas: idem certe eſſet, ac ſi quis neceſſitate coactus, ex opaco, cœnoſo, fœtente palude, aquam pro ſiti extinguenda deberet haurire; quanta cum averſione hoc, putes, fieret? quod ſi ovula ſerpentum, bufonum ſpermaticum virus &c. in hauſtu ſuo inveniret, quanta cum induſtria illud ſeparaturus eſſet? Sed ſi quis demonſtrare poſſet ad oculum, omnes impuritates in aëre contentas, effluvia ex locis paludoſis exhalantia, vapores ex lacunis cœnoſis & cadaveribus, ex mineralibus corroſivis, ex animalibus contagioſis, ex plantis venenatis, ex corpuſculis & excrementis hominum ac beſtiarum &c. quantum inde horrorem ac metum infectionis homo conciperet? Nihilominus hæc ita ſe habent; Summus autem rerum Opifex talem invenit pro aëre temperando modum, ut licet gravidus ſit tam variis & noxiis ex parte contentis, hæc tamen neque per viſum neque per tactum ſenſibus pateant, nec ullo modo, ordinario naturæ curſu, poſſint nocere.

Si autem particulæ illæ ex globo terraqueo in aërem elevatæ in eodem loco ſemper perſiſterent, aut ad minimum tamdiu, usque dum tractu temporis rarefactæ altiorem aëris regionem petere, aut graviores factæ iterum deſcendere poſ-

possent, quid inde fieret in populosis urbibus, incolarum myriadibus refertis? Ubi fumus ex lignis, carbonibus, turfis, lithantrace, vapores ex aquis putrescentibus, fœtor ex locis impuris, & mille aliæ exhalationum species continuo aërem inquinant: annon loca illa perpetua fierent cœmeteria? *Ventis* igitur etiam opus erat, qui ex patentibus locis, mari, montibus spirantes, effluvia illa impura & exhalationes in vastum aëris pelagus dissiparent, & præterea aquosos vapores ex mari ascendentes, qui sine ventorum interventu, eo iterum reciderent, ad loca mediterranea & aridiora transferrent, ibidemque in pluviam, rorem, nives resolutis, eadem humectarent. Ut de aliis ventorum utilitatibus societatem humanam juvantibus, nihil dicam.

Ventorum igitur necessario, dum aërem perscrutamur, mentio est facienda, quos Summus rerum Arbiter Deus, ad custodiendam, ut *Seneca* loquitur, cœli terrarumque temperiem dedit. Similes autem sunt venti fluminibus, qui excurrendo fiunt majores, accedente in progressu sæpe materia, pabulo atque augmento ex vaporibus, uti *Averrhoës* jam *Lib. 2. de Meteoris capite secundo* animadvertit. Et *Copernicus Lib. I. Revolut. cap. 8.* dicit, *quid ventus aliter in Aëre efficit, quam fluctus in mari?* sub quo schemate & *Vitruvius* jam suo tempore, ventum consideravit. Quin & recentiores nihil aliud de vento docere possunt, quam quod fluctuationem aëris constituat: de cætero autem fatentur, nihil esse difficilius, quam singulares ventorum causas & circumstantias explicare.

Dum igitur *de Aëre Warsaviensi* specialiora in medium proferre intendimus, non æque felicius hoc fiet, quam si constitutionem ejus secundum triplicem affectionem consideremus. Alteratur enim omnis per totum terrarum orbem diffusus Aër:

vel 1. *a ventis multifariis, tum solitariis, tum comitatis:*
vel 2. *a vaporibus ex aquis ascendentibus,*
vel 3. *ab exhalationibus terræ & incolarum omnis generis.*

Has igitur Aëris affectiones decet nos ante accuratius examinare, quam de conditione cœli Warsaviensis certi quid statuamus. Prout autem ex præmissa generali Warsaviæ situatione descripta jam patet, in immensa quasi planitie hanc Urbem esse positam, ita per se etiam liquet, liberum perpetuo hic esse ortum & occasum solis, nullis montibus aut aliis obstaculis impeditum, consequenter & ita ventis patere per totam circumferentiam, ut quinquaginta amplius milliaria ex omni plaga possis emetiri, antequam ulla notatu digna terræ in montium cacumina assurgentis tibi obveniant impedimenta, quæ planum sufflaminent cursum. Nam hoc tenendum ex notitia Poloniæ Geographica, quod penitus non montosa sit Polonia, nisi qua Hungariæ aut Walachiæ adjacet, & paucis præterea locis. Tatri (*) autem, Carpathi, Biesciadicique montes longo ibi tractu protenduntur, altitudine Pyrenæis aut Alpibus vix impares, & incipiunt, quod Carpathicos in specie attinet, pauca aliquot a Cracovia milliaria, ita, ut tota fere minor Polonia jam in montes assurgat. Si quæ igitur per montes ventorum in mediterraneis Poloniæ locis, refractio esset admittenda, Australes hæc concerneret, cæteris libere loca fere omnia præsertim Warsaviam, permeantibus. Ex ventis igitur quatuor cardinalibus, primo considere-

(*) Dacicos montes à Thraciæ montibus *Tatros* nominatos puto &c. *Sarnicius Annal. Polon. L III. ad A. C. 118.*

Bieszczad Mons est prope castrum Sobiense, terras Polonicales à Pannonicis disterminans. In vertice ejus lapis Ruthenicis literis inscriptus, à Leone Duce Russiæ positus pro limitibus. *Dlugossus Hist. Polon. L. I. p. 34.*

Mons Carpathus in Methanesle oritur, quam vocamus Wallachiam. *Ibid.*

ſideremus Orientales, quibus, propter paulo elatius verſus hanc plagam ſolum, Warſavia maxime videtur eſſe expoſita; & licet Viſtula fluvius hic intercedat, littus tamen ejus Warſaviam ſuffulciens adeo eſt elevatum, ut circa Arcem 40. in collibus autem illis binis, quibus Chomętawskianum & Zamoscianum Palatia ſunt ſuperædificata, 50. fere pedes geometricos altitudine, ipſum fluvii alveum ſuperet. Ex qua dimenſione patet, quod nec ſylva etiam denſa illa & aliquot milliaria per Podlachiam protracta, quæ Orientalem Warſaviæ plagam trans Viſtulam occupat, hujus venti impetum poſſit refringere, utpote quæ longe Warſaviæ ſolo in ſitu eſt depreſſior, magno ſimul incolarum hujus Urbis bono, quia ex uliginoſis ac umbroſis ſylvæ illius locis, multum alterari poſſet, quoad ſalubritatem, hic ipſe ventus. Solet autem communiter ſiccus ac frigidus eſſe, quocunque anni tempore fere; ac præſertim hyemali, eundem ferme, imo majorem frigoris gradum, affert, quem ſeptentrionales alias advehere ſolent: e longinquo autem ex deſertis Moſcoviæ ac Tartariæ locis ſpirat, ac deinde Lithuaniæ, Ukrainæ, Volhynienſis ac Podlachienſis Palatinatuum, bonam partem tranſit, antequam ad hanc Urbem perveniat; fortaſſis autem in loco hinc remotiori, Boreali occurrit alicubi vento, cui quoad vehementiam inferior, indeque raptus ab eo, & qualitates ejus ſequendo, adeo ſemper obſervatur apud nos frigidus.

Ipſi autem Septentrionales ſibi relicti venti vehementiores longe ac potentiſſimi ſunt, ſicuti per totam fere Europam, ita in Polonia præſertim, quam eo acerbius afficiunt, quo hæc Arcticis ac Polaribus regionibus eſt propinquior: & cum conſideremus, quanta nivis & glaciei perpetuæ moles, in illa ſeptentrionis regione, ubi Ruſſiæ ac Siberiæ fluvii in mare præcipitantur, occurrat, utpote quæ immenſæ fere altitudinis ibi montes producit, nunquam per totum anni decurſum colliqueſcentes, facile inde colligere poſſumus, quantam gelu intenſi copiam, ramenta Nitroſa Ammoniacalia, venti ſepten-

trionales ex tractu illo oblique flantes advehant. Et fortassis potentia illorum ac frigus inde dependens longe adhuc esset vehementius, nisi quidem primo per Mare Album, Sinum Bothnicum & Finnicum, ac Balthicum Mare temperaretur: (scimus enim ex Physicis, maris effluvia sævissimi etiam gelu tempore, multum ad temperandum hoc natura sua facere, quo sine, nec Anglia, nec Belgium, quod cum Polonia eundem fere parallelum obtinet, tanta gauderent cœli temperie,) secundo autem loco per frequentes atque immensæ fere extensionis sylvas, Lithuaniæ præsertim, ex septentrionali atque orientali plaga objectas, refringeretur. Atque in specie quidem Warsavia, à parte Septentrionali per ejusmodi sylvæ particulam tegitur, quæ secundum Vistulæ tractum ex hac Urbis parte extenditur, & Camaldulensium Eremum in se occultat. Alias longe fortassis eminentior esset hujus venti vis, & plures nobis afferret ex particulis nitrosis, acidis, scindentibus, molestias, quales *Hippocrates* 3. *Aphor.* 5. recenset. Occidentales autem venti, qui appellantur etiam Favonii, propter illam, quam Aëri alias conciliare observantur clementiam, Warsaviæ non æque sunt faventes: spirant autem hi ex marinis, paludosis, lacustribus & uliginosis valde locis, quales Oceanus Germanicus, Saxonia inferior, tota fere Pomerania & Prussia Occidentalis; unde nubes densas utplurimum afferunt, ac procellosi sunt, nebulosi. pluviosi. Solent autem hi venti nonnunquam Warsaviæ valde communes esse, ac memini illos per tres interdum anni quadrantes ferme, paucis intercedentibus aliis, spirasse. Longè autem plus Warsaviensibus officerent, nisi per longum terræ tractum ficciora etiam & arenosa loca, qualis major Polonia & Marchia Brandenburgica &c. permearent, antequam huc usque pertingerent. De Austrinis autem ventis Warsaviam afflantibus hoc quidem dicere possumus, illos non æque ac alibi locorum, huic Urbi esse nocivos. Scimus quantum Romani e. g. & in universum omnes Italiæ populi, ab Australibus sibi

time-

timeant flatibus, maleque ab iisdem afficiantur, siquidem ab æstuosis Africæ locis ibi irruentes, nullo montium obstaculo intercipiuntur, prætereaque liberius, ab Ostiensibus, Portuensibusque atque universo Latino littore inquinamenta non parum infensa solent afferre. Hic autem nullum ab æstuosis vel humidioribus locis Austrino vento periculum: Nam a nimium ferventibus, ex parte etiam pestiferis Wallachiæ, Moldaviæ, Bulgariæ, Romaniolæ atque Hungariæ inferioris locis, per montes Tatros & Carpathicos, uti dictum superius, Warsavia defenditur, paludes autem in Cracoviensi ac Sendomiriensi, quem pervadit, tractu paucissimæ, unde inquinari posset. Imo optandum forte, ut per dictos altissimos montes, non adeo à venti hujus participatione tota Poloniæ planities excluderetur, fortassis plus temperaretur hinc Aëris rigiditas, quæ, si hyberno tempore cæteris regionibus hic observatur major, multum certe debet venti Australis per dictos montes Alpibus non dissimiles, exclusioni. Nam illa, quæ *Opalinius*, Illustris quondam Posnaniensium Palatinus, qui *Poloniam Defensam contra Barclaji Iconem Anim.* scripsit, in medium, de Polonia respectu aliarum regionum minus habitata, frigoris intensioris, propter defectum exhalationum ignearum, causa, adducit, vix mihi aliquod ad probandum singulare pondus, afferre videntur.

Transimus jam ad magis proprias Aëris Warsaviensis alterationes, quæ ipsi, *secundo loco, a vaporibus ex Aquis exhalantibus* inducuntur. Et quia communiter magna pars effluviorum aqueorum in nubes resolvitur, monendum has ipsas, non ex mari saltem, fluviis majoribus, stagnis, sed etiam ex lacunis oriri posse: ita *Sturmius in Physica sua Erotematica Part. Specialiss. Sect. I. cap. 6. p. 505.* meminit, se aliquando in humiliori aëris regione nubeculam observasse, quæ autem, dum illi propius accederet, disparuerit, parva saltem in illo ipso loco lacuna apparente; ex quo concludit, nil nisi vaporem condensatum ex lacuna ascendentem fuisse id, quod

tunc

tunc ſub nubeculæ ſpecie ipſi apparuerat. Cum igitur ex omni aqua nubes, præcedente per ſolis radios rarefactione, poſſint aſcendere, Warſavienſe territorium non ſaltem, reſpectu Viſtulæ adjacentis magni fluvii, ſed etiam reſpectu lacuum, ſtagnorum, paludum hinc inde in Urbis circumferentia diſperſorum, easdem ſuppeditare in copia neceſſe eſt: non minus autem & nebulas hoc noſtrum ſolum ex eodem fundamento producere potis eſt, quas præter aquoſos vapores, & ex terræ effluviis aliquid participare, conſequenter craſſiores eſſe ſubſtantia, patet: nam præter aqueos globulos, aliud ſæpe quid permixtum habent, quo graviter alibi nocere ſolent: unde ſæpiſſime ſenſuum hebetudinem, ſtupiditatem ac reſpirationem difficiliorem inducunt inſpirantibus, prout *Helmontius* obſervavit. Sunt autem Warſaviæ non adeo ut aliis in locis nebulæ frequentes, nec niſi poſt æquinoctium autumnale ordinarie ſolent obſervari, nonnunquam etiam medio hyeme, quo tempore ſi apparent, ſubitaneam utplurimum ex intenſo gelu, in pluvioſam tempeſtatem, mutationem poſt ſe trahunt. Horum igitur Meteororum fontes & originem ſuppeditat potisſimum quidem Viſtula, quæ maximam partem vaporum inter tranſeundum Aëri communicat: Quia autem hic fluvius, decenti decurrit fluxu, non lento illo, ſed vividiori, & aquas vehit, prout ex ſequentibus patebit, leviores ac purisſimas, nullum exhalationes ejus civibus inducere poſſunt damnum: & licet nebulæ etiam ex eo aſſurgant, raro tamen, propter gravitatem, ad illam aſcendunt ſupra alveum altitudinem, ut Urbem infeſtare posſint, imo à mox ſequentibus ventis disſipantur brevi utplurimum. Aqua enim, quam magnus, velox & purus Viſtulæ fluvius trahit, ventos ſimul naturali modo ventilantes ac purificantes movet: ſiquidem circa magna flumina, ordinario ſpirantem ventum quendam ſenties, quo nomine & Nilum Ægypti maxime laudari ab autoribus tam antiquis quam modernis, legimus. Non inſons tamen penitus Warſavia

erit

erit de aliis vaporibus ex paludoſis locis aſſurgentibus, quia hæc inveniuntur paſſim, ſpecialiter in tractu illo, qui *Solecum* appellatur, & Urbis ex Auſtrali parte, quaſi eſt appendix: ibi enim frequentes lacunæ cœnoſæ, & magna paluſtrium aquarum colluvies, quæ non raro poſt Viſtulæ exundationes, vernali præſertim tempore, dum augetur ex irruentibus à Cracovienſibus ac Carpathicis montibus, liquata nive, aquis, accidere & obſervari ſolet. Et dimidium milliare hinc prope *Czernichoviam*, tam uliginoſum ac humidum eſt ſolum, ut vernali & autumnali tempore, vix via, propter lutum cœnoſum pateat ad Palatium Regium, per pagum. Non minus ille ſylvæ Bielanenſis tractus ad ſeptentrionem extenſus, qui Viſtulæ eſt propinquior, hoc nomine eſt ſuſpectus, qui præterea cum umbroſus propter denſam arbuſculorum & virgultorum copiam ſit, eo virulentiores ex putredine ſuppeditat exhalationes. Hoc non obſtante, nunquam tamen Warſavienſis Aër nimium craſſus & vaporoſus obſervatur vel valde humidus, quod manifeſtum vel ex hoc unico eſſe poterit, quod tegmina domuum nullibi fere muſco ac virore inducantur, muri & maceriæ nullos fere ſuppeditent ceſpites: rariſſimum certe ſempervivum muro innatum hic videre, & vix unum ſolum ſub Arce memini locum, ubi illud ordinarie creſcat: tegulas ex terra coctas, licet per centum amplius annos tectis ædificiorum inſtratas, nusquam videbis maculis muſcoſis vel viridibus notatas: nec lignea vaſa, licet diu aperto cœlo expoſita, facile lentorem quendam, & piloſum ſitum ac mucorem induent.

Dum denique tertio loco *de Terræ aliorumque corporum cum hac ſymboliſantium effluviis Aëri communicatis* agendum eſt, ante omnia de terra in genere aliquid commemorandum nobis, ſpecialiter deinde Warſavienſis ſoli conditionem examinaturis. Non pudet autem nos cum pleriſque Philoſophis modernis fateri, quod non ſatis adhuc certo & integre ſciamus, unde & quomodo terra ſit producta, quam quotidie

calcamus pedibus, & quod omnia experimenta hunc in finem hactenus facta, non ſufficiant pro neceſſaria hujus rei cognitione. Miramur interim & ſatis mirari non poſſumus, quod terra, cum omnes per totam globi noſtri ſuperficiem diſperſas creaturas alat & ſuſtentet, nunquam tamen conſumatur, nec ipſius fertilitas a tot mille retro annis pereat: forte, quia partim per aërem & pluviam, partim per animalia mortua computreſcentia atque in cineres ac pulverem converſa, continuo reſtituitur. Et hæc ipſa terra, communis illa, qua agricolæ & hortulani utuntur, per analyſin chymicam tractata, liquorem volatilem urinoſum, qui cum ſpiritu nitri acido ebullit, & oleum fœtidum nigrum poſt ſe relinquit: ab hoc ipſo autem ſale urinoſo fortaſſis eſt, quod tantæ ad longævitatem & bonam valetudinem virtutes & effectus, in continua terræ tractatione vel vita ruſtica, ponantur. Notiſſimæ ſunt veterum Romanorum ruſticationes, pro hoc ſcopo unice quondam celebratæ, ut ſanitati conſulant; & *Baco* de *Verulamio in Sylva Sylvar. ſive H. N. Cent. X. p.* 954. *edit. Lipſ.* 1692. viri ampliſſimi meminit, valde longævi, qui mane ſemper ex gleba terræ recenti pura, odorem excepit: recentiori autem exemplo de Rege Galliarum Ludovico XIV., experto, nullum genus hominum iis, qui terram foderent ac colerent, eſſe vivacius, narrant, ipſum in horto, qui Verſaliæ eſt, ejusmodi labores exercuiſſe, creſcente jam ſenectute, frequentius. Terra igitur ſibi relicta non niſi ſalutaria de ſe ſpargere poterit effluvia. Cum autem non ubique eadem ſit, ſed valdopere quibusdam in locis, ratione miſcelæ cum Sulphure, Vitriolicis, Alcalinis, Acidis, Aluminoſis, Salibus, variet, non mirum, ſi aliquando etiam nocivas in aërem emittat exhalationes, mediante ſolis calore imprimis excitatas atque in altum evectas. Ut enim nihil dicam de metalli fodinis, quæ per totam Poloniam rariſſimæ ſunt nec hujus loci, non deficit tamen ſoli alteratio ab aliis ſupra memoratis concretis, quæ non minus ac metalla Aëri

&

& aquæ qualitates ſuas communicare ſatagunt, & quæ generaliter quidem procedendo, per ipſius ſoli conditionem externam cognoſcuntur ex parte. Quoad Warſavienſe ſolum igitur, præter illa, quæ in generali Urbis deſcriptione notata ſunt, obſervandum, ſeptentrionalem ſuburbiorum partem limoſam & lutoſam potiſſimum eſſe, lateribus excoquendis aptam, unde hic, & ulterius occaſum verſus usque ad *Belloti Palatium*, laterariæ officinæ frequentes ſunt, reliqua, & præſertim illa, quæ viam ad *Tabernas Militum Stationariorum & Mariæ montem*, in ſe continet, arenoſa maxime & ſteriliori: ex his locis, dum per *Nalevvkam ad Leśnam* pergimus terra paulo fertilior, pro pecorum paſtu, agricultura ac ſemente, hortisque colendis aptior: licet & hinc inde arenoſa ſpatia, atque prope *Leśnam* ipſam, ad ſeptentrionale ejus latus, non procul à cœtus Evangelici cœmeterio, argilloſa gleba occurrat & effodiatur, figulis pro fictilibus vaſis parandis, expetita. Tractus autem ille, qui à *Leśna* verſus Meridiem vergit, & omne id, quod ſub *Grzyboviæ* & *Vielopolii* nomine venit, *Hortum Regium, S. Crucis Parochiam cum ædificiis & horto huc ſpectantibus*, ſub ſe comprehendit, maximam partem pomariis & hortis dicatus cernitur, quibus agri adjacent ſemente & cultura de ſoli bonitate ac fertilitate ſatis teſtantes: quæ à *S. Crucis* territorio ad Viſtulam usque extenditur regio, *Novvy-Svviat & Alexandriam* cum via publica ad *Solecum* ſub ſe comprehendens, loca valde cœnoſa, & quibusdam in locis, dum pluvioſum cœlum eſt, fere impervia habet: dantur enim in media, quæ *Ujazdovium* ducit via illius ſuburbii *Novvy-Svviat* appellati, quædam udæ omnino uligines, humorem perpetuo exſtillantes & eliquantes, quæ nunquam fere exſiccantur. Reliquus tractus, *ab Alexandria* meridionaliter ad Viſtulam extenſus, prata continet fere continua, & ipſam, quaſi Urbis appendicem *Solecum*, ubi propter magnam terræ fertilitatem, longa hortorum ſeries, & in his magna in ſpecie aſparagi cultura, ex qua tantum interdum,

præſertim Rege Warſaviæ præſente, poſſeſſoribus emolumentum, ut ex unico horto, ſexcentorum amplius Timpfonum cenſum rediiſſe ex venditis his non ſemel, ipſe meminerim. Longè autem felicior eſſet *Soleci* conditio, ſi ab adjacente Viſtula, quod frequenter accidit, non inundaretur, dum a copioſis pluviis ac nivibus liqueſcentibus, aquæ redundant in prata & ipſos quandoque hortos, ibique, dum perſiſtunt diutius, ſolum mucagine cœnoſa obducunt, unde putredinem concipit tellus, ingratumque fœtorem de ſe ſpargit, & putridis exhalationibus aërem inquinat.

Hæc Viſtulæ inundatio, merito monet nos, de littore hujus fluvii non omittendum eſſe, quod arenoſum illud quidem ſit maximam partem, intermixta tamen lutoſa etiam & argillacea terra, in qua ex utraque ejusdem parte, in ſpecie autem citeriori hac, quæ à *Soleco* ad *Czernikoviam* & *Villanovam* extenditur, ingens ac incredibilis *Petrefactorum Conchyliorum aliorumque* reperitur theſaurus, cujus notitiam *Illuſtri Viro Domino J. H. Heuchero, Reg. Polon. Majeſt. Conſiliario & Archiatro* debemus, utpote qui, præter innumera in Artem Medicam & Hiſtoriam ac Scientiam Naturalem merita, & hoc ſibi jure meritoque vindicat, quod primus conchylia & alia petrefacta in Sarmatiæ Regno detexerit, cujus generoſæ communicationi etiam in acceptis ferenda, quam hic ſubnectimus de dictis petrefactis in littore Viſtulæ fluvii circa Warſaviam reperiundis, compendioſam commemorationem: ulteriorem eorundem hiſtoriam Illuſtris Viri laboribus ac feliciori ingenio, merito relinquentes, utpote qui ſingulari ſtudio hæc muſeis Naturalibus Regiis Dresdæ intulit, in iisdemque accuratiſſimo ordine diſpoſuit: Sunt autem dictorum Petrefactorum præcipua fere ſequentia:

Ex Lithophytis Fungoſis:

Corallopetra catenaria foliis irregulariter cancellatis.

Silex

Silex obſcurus glaber, in quo Reticuli Tophacei Maritimi J. B. folia, detrita quidem, cernuntur, quibusdam in locis in catenulam expauſa, à qua nota vulgo dici ſolet *Lapis Catenarius*.

Reticuli Tophacei folia, à latere diſtinctè videnda; rarum exemplum.

Fungus Lamellatus per ſtrata, ſibi invicem incumbentibus lamellis.

Fungus Lamellatus Aſtroiticus.

Fungus fibroſus papillaris.

Fungus fibroſus in reticularem ſuperficiem terminatus.

Fungus fiſtularis ſeu Calamiticus.

Fungus Calamiticus, tubulis intus radiantibus: an *Porus Matronalis ramoſus Imperati p.* 819. vel Coralliis affinis Madrepora ramoſa *J. B.* T. III. *p.* 817.

Lithocalamus Cylindricus, intus radians, fiſtulis minoribus.

Lithocalamus Conicus, intus radians, fiſtulis egregiè â ſe invicem diſtinctis.

Fungus Tubularis.

Tubularia erecta, tubulis maximis, elegantiſſimum ſpecimen.

Tubularia erecta tota ſaxea, coloris gryſei, tubulis albis: *Kleinio* Lithocalamus Cylindricus, *Imperati* Millepora, *p.* 817.

Tubularia Villoſa, ſeu Vellus Lapideum.

Tubularia Vermicularis; Alcyonium Vermiculare *Imperati.*

Fungi Pyxidati.

Lithopyxides fimbriatæ, Corallium ramulis pyxidatis, limbo radiante, vel *Cornicula Marina.*

Fungi favaginoſi, celluloſi, cancellati.

Fungus favaginoſus totus farctus.

Corallofavus regularis, cellulis non farctis.

Corallo-fungus regularis, cellulis farctis.

Fungus Aſtroiticus, ſtellulis intra circulum denſe radiantibus.

Fungus Aſtroiticus Milleporus.

Fungus Astroiticus Rhodizon, rosulis limbo subtiliter radiante & prominulo interceptis.

Fungi Caliculati, aliorum *Hippuripetræ*.

Hippurites inverse Conicus, irregulariter geniculatus, cum Isocardia.

Calyces Hippuritici simplices, substantiæ tophaceæ candidissimæ.

Virgultum Hippuriticum grandiusculum, tophaceum.

Calyx Hippuriticus duplex, seu Columellus prolifer *Luidii*; Hippuriditis & Millepori connubium.

Hippuritidis cylindrici truncus ingens, specimen rarum.

Hippuris cylindra: Radix Bryoniæ lapidea: Columellus major *Luidii*.

Ex Lithophytis Ramosis:

Corallites, Corallio rubello dives.

Cruor seu sanguis *Corallinus*, vid. *Marsigli*.

Adarce, in qua Corallium rubellum varii generis germinat, unde & nonnullis *Saxum Coralliferum* audit.

Adarce glareosa egregiis ramis *Corallii punctati*.

Congeries Corallii punctati egregia.

Lapis Cæmentarius, grandiusculis Coralli punctati ramulis, reticulo tophaceo *Bauhini* & nonnullis Calycibus Corallinis obsitus.

Corallii fragmentum cortice Reticulato Scheuchzeri, in Lapide Polymorpho Cæmentario.

Corallium cortice Reticulato obductum *Scheuchzeri*.

Massa ditissima ramis granulatæ ramosæ.

Ex Marinis Dubiis:

an *Alcyonium* durum fistulosum *Imperati?*

an *Branchiale* ferruginosum *Luidii* in lapide tophaceo & limoso deturpatum?

Ex Marinis Tophaceis:

Tophus Encephaloides.
Tophus Pyriformis Wormii.

Ex Keratophytis:

Corallium Nigrum.

Ex Plantis Marinis Herbaceis:

Lapis Conchoſus, in quo Fuci Linteiformis veſtigia.

Lapis ſubtilem muſcum Corallinum includens, in ſuperficie ex ramorum extremitatibus velut papillis aſper.

Alga Marina πλατίκερως *J. B.* in pyrimacho albo, in Chalcedonium granulatum degenerans.

Fucus, malè Porus Cervinus *Imperati.*

Ex Stellis Marinis:

Ingens fragmentum Capitis *Meduſæ* ſeu Stellæ ramoſæ, ramis in perpetuas lamellas tenuiſſimas diviſis, & ſubtiliſſimis ſurculis lateralibus invicem connexis, rubelli coloris.

Ex Cruſtaceis Marinis:

Stylus Marinus, olim Cauda cancri.

Ex Belemnitis & Alveolis Belemniticis:

Belemnites Warſavienſis.
Alveolus Luidii.

Ex Echinitis & Aculeis Echinificis:

Aciculæ Echinitica minimorum Echinorum.
Lapis Judaicus irregularis.
Solenes Vermiculares, aliis Alcyonium Vermiculare.
Lapis Margaceus eroſus.

Ex

Ex Lapidibus Verminosis, à Vermibus erosis, Lumbricariis Imperati:

Lapis punctatim erosus, Vermiculari Lapidi *Baieri* assimilandus, conferendus cum *Luidii* Forulagine.

Forulago Saxea.

Pseudo-Pumex.

Ex Petrefactis aliis Regni Animalis:

Spina Piscis in Lapide Calcario. *Silex Odontites.*

Ex Oolithis:

Meconites albus, ad Oolithos referendus.

Oolithus rarissimus eburneus, seu lente Margariticus, durissimus, ex seminibus Concharum maximarum & fragmentis testarum ejusmodi compactus: forte ad Ova Concharum Noachicarum seu Chamarum asperarum squamatarum *Rumphii* referendus.

Ex Cochlitibus Petrefactis:

Lapis Cretaceus, in quo & nitida testa, nautili striati rarioris.

Strombitæ.

Cochlea terrestris.

Serpentulus dorso acuto.

Buccinum undatum & striatum.

Urceus, species Turbinis.

Cochlea Lunaris.

Nerita in Polymorpho Cretaceo.

Cornu Ammonis.

Serpentulus Rumphii.

Ex Bivalvibus Petrefactis:

Pectines profunde & dense striati, margine imbricato.

Pectinipetræ.

Pecten

Pecten ſemicircularis planus *Liſteri in append. Teſtac. petref.*

Pecten ſemicircularis ſulcatus, ſeu in dorſo ſinuoſus, forſan à *Liſtero* nondum deſcriptus,

Conchæ Anomiæ exiguæ, trilobis *Fab. Columnæ* comparandæ.

Conchæ Anomiæ trilóβυ craſſius ſtriatæ *ſpecies a Fab. Columna* deſcripta.

Lapis conchulis trilobis farctus, in *Szoleco* Warſaviæ ſuburbio repertus; primum omnium, quod in Polonia vidimus petrefactum, quique occaſionem dedit petrefacta hic recenſita detegendi.

Anomalocardites, ſub nomine Conchæ Anomiæ trilóβυ Seleniticæ.

Concha Anomia lævis & rotunda *Fiſchero* & *Kleinio* Burſula.

Chama Circinnata.

Chama rugoſa, an Tædebaja?

Chama ſuper Solene.

Oſtreum Saxatile.

Oſtracites Liſteri.

Ctenoides.

Hyſterolithus.

Triquetra.

Nux Maris.

Scutula ſeu Clypeola bifida & trifida.

Anomalo - Cardium ſtriatum.

Solen bivalvis ſeu Cappa longa.

an *Concha* roſtro adunco *Liſteri?*

Conchites incognitus.

Conchæ ſtriatæ vix definiendæ fragmenta, ſubſtantiæ Agathinæ.

Ex Polymorphis Petrefactis:

Polymorphus Calcarius.

Marmor polymorphum puniceum.

Polymorphus ſubſtantiæ Cæmentariæ elegans, bracteis cribroſis inter alia notabilis.

Ex Lithoxylis:

Lignum ſtuppoſum, pumicea raritate leviſſimum.

Lithoxylum faginum, ſeu Phegites.

Porro ex aliis.

Dendritæ Varii.

Ammites Sphæroides.

Ammites Martialis.

Piſolithum referens lapis.

Oſteocolla Martialis.

Stalactites.

Hoplites polylobus, ſeu lapis velut ferro indutus, & per profundos ſulcos diviſus.

Reliquum, ut ad Urbem ipſam revertamur, ſuburbii Cracovienſis ſpatium, præſertim illud, quod in Orientali plaga Viſtulam ſpectat, ab hortis occupatur ipſis Magnatum Palatiis ac Monaſteriis contiguis, qui cum in acclivi jaceant, & ſolis ortum ac meridiem habeant omni ex parte libera, mirum quantum culturæ ac fertilitati favent, horæorum fructuum in ſpecie; & omnium conſenſu Melones, Armeniaca & Perſica mala delicatiſſima inveniuntur in his locis ſata & nata.

Quæcunque igitur, ut ad ſcopum redeamus noſtrum, effluvia noxia, Aëri ex ſolo Warſavienſi communicari poterunt, præſertim a ſupra allegatis cœnoſis, uliginoſis ac paluſtribus oriuntur locis, quæ dum intermixtas ſæpius habent fœdas impuritates Salino-Sulphureas acres, & per reactionem a ſolis radiis caloreque intenſo exaltantur, valde nocivæ evadunt, quod evidentius apparet, dum ab his generata ros & pruina quandoque arborum & plantarum fœcunditatem perdunt, eisque variegatas maculas inurunt, foliaque corrugant & corrumpunt.

Reli-

Reliqua ex tellure ſuburbiorum aſſurgentia effluvia ſunt inſontia, ſi *Fimeta* excipias, & quod civitatem ipſam etiam ſpectat, *Sepulchreta* in cœmeteriis & ſub Eccleſiis latentia, aſt non bene contecta. Et de his quidem in ſpecie moneo, non negligendam Aëri Warſavienſi labem hinc emergere, quod ſepulturæ in templis admittantur promiſcue: ſolent enim fornice ſubterraneo per magnam ædificii partem inſtructa eſſe fere omnia intra & extra Urbem templa, Parochialia præſertim & Monaſterialia, quibus mortuorum cadavera inferunt, ſeriatim juxta & catervatim ibi unum ſuper alterum loculum ponendo: ex his fornicibus in plateas vel cœmeteria patent ſpiracula ampla ſatis & patentia, quæ memphitim exhalant perpetuam ex putredine cadaveroſa, aëremque longe lateque, inſenſibiliter licet, inquinant. Quanta autem ex his cadaverum computreſcentium exhalationibus noxa viventibus emergat, quivis facile intelligere, ſi animum advertat, non ſine horrore tamen, poteſt. Refert *Henr. Screta*, fide dignus & valde æſtimatus apud Medicos ſcriptor, in tractatu de *Feb. Caſtr. Sect. I.* Cap. 5. quosdam curioſitate ductos, ſubterraneos Romæ collapſorum ſepulchrorum ſpeluncas intus videndi, a fœtidis exhalationibus fuiſſe enecatos, qua de re cauſam ulterius alibi exponit *Muraltus in* Colleg. *Anat. Sect.* 3. *p.* 58. Cum his reſpondet, quod *Ramazzini de Morb. Artif.* refert. *cap* 17. quod nullum ſenem veſpillonem viderit unquam. Romani hoc in paſſu antiquiſſimis temporibus ſub gentilismo adhuc viventes, fuerunt cautiores, uti *ex Leg.* 12. *Tab. patet: in Urbe ne ſepelito.* Nam Imperatoribus ſaltem, Virginibus Veſtalibus locus hic erat conceſſus: quam legem ſapienter repetitam invenimus a *Theodoſio M. in Cod. de Sepulch. Viol.* L. 6. Curioſus ergo Antiquitatum rimator *Lilius Gregor. Gyraldus Ferrar. de ſepultura ac vario ſepeliendi ritu*, *cap.* 5. conſuetudinem notanter taxat, funera in templis promiſcuè humandi, cum olim loca iſta, ſub Chriſtianæ religionis initiis, ſolis Martyribus relicta fuerint. *Nunc Chriſtiani noſtri (prô majorum noſtrorum*

rum sancta instituta deperdita) non intra urbem modo defunctorum {corpora condunt, verum &, si Deo placet, in templis, ipsisque delubris & sacellis, in quibus Divorum cineres & reliquiæ tantum servari & venerari majorum nostrorum religio fuit, nefariorum & scelestissimorum hominum, utinam & non etiam impiorum, fœdissima cadavera condunt. Sunt propria Gyraldi verba.

Hinc dici non potest, quantum placuerit, cum nuper de *Philippo Verheyen*, Celeberrimo apud Lovanienses Anatomico, legerim, ipsum sibi Epitaphium sequens propria manu scriptum, ac pro omni testamento relictum, post mortem erigi jussisse:

P. VERHEYEN MED. DOCTOR ET PROF. PARTEM SUI MATERIALEM HIC IN COEMETERIO CONDI VOLUIT NE TEMPLUM DEHONESTARET AUT NOCIVIS HALITIBUS INFICERET. R. I. P.

Fimeta superius nos allegasse meminimus, quod magnum etiam hæc Warsaviensi Aëri afferant præjudicium. Ut autem nihil dicam, de communi illo totius Warsaviæ sterquilinio, sub nomine *Gnoyovva Gora* incolis noto, Urbi, & quod magis mireris, ipsi Arci, Regum ordinariæ residentiæ, nimis vicino; per omnem præterea vicuum in suburbiis tractum, copiosos & frequentes videbis fimi coacervati cumulos, præsertim ante Nobilium quorundam Palatia, quæ magistratus civitatis legibus non sunt subjecta. Hæc igitur fimeta, præsertim æstivo tempore, dum calor solaris & pluvia in ea operatur dio patentia, in majorem cientur fermentationem & putredinem, ac fœtore gravi Aërem inficiunt. Et licet arido ac sicco cœlo, eadem accendantur & consumantur ex parte; nescio tamen, an ita vitium inde emergens corrigatur tantopere. Exurgit enim ex illa accensione fumus adeo crassus, densus & gravis, qui nunquam altius in aërem liberum ascendit, sed prope terram hærens & per grave pondus crassiorum particularum depressus, adeo prætereuntes & pro-

proxime habitantes infestat, ut suffocationis, ex fœtidissimis effluviis, periculum quis subeat. Ridiculum autem est, quod audies ab imperita plebe, credente per hanc fimi accensionem aërem purificari; quia fortassis a prudentioribus acceperunt, aërem per ignis accensionem & focum perennem ventilari egregie atque ab impuritatibus liberari, quod hactenus quibem verum, & ab ipso *Hippocrate* expertum, dum contra pestem Græcorum crudeliter sævientem, sylvarum incendium instuere jussit; ast hoc de luculento & balsamico igne & fumo, ex tædis, pino, abiete &c. accensis, intelligendum: qualem autem hoc, cum putidissimis ex sterquilinio ac fimeto accenso exhalationibus, habet connexionem?

Alius autem adhuc est apud Warsavienses dictorum fimetorum usus dicam an abusus, dum pauperibus, & præsertim illis, qui Venerea fœdantur lue, & propter putidas exulcerationes & deturpationes corporis, contractumque formidabile contagium, non facile ab aliis in tecti & victus consortium recipiuntur, pro ultimo inserviunt refugio. In his enim fimetis speluncas sibi effodiendo efformant, ut durante intenso caloris æstivi æstu, accedente insuper ex fimo fermentescente urente calore, corpora ad sudorem perpetuum disponant, eodemque fœda ulcera & dictum Venereum virus dissipent atque in tantum curent. Quod, ut eo felicius procedat, quidam a Chirurgis feces ex Decoctis liquorum Anti-Venereis residuas emendicant, atque ex his decocta denuo sibi parare faciunt, eademque in fimetis æstuantes avide haurire solent. Atque ejusmodi curationes per tres vel quatuor septimanas incredibili patientia tolerant, eleemosynam interim a prætereuntibus petentes pro victu, ut miseram trahere intra famem atque immensos fimi accensi calores, vitam queant. Incredibile enim est, quantum ipse fimus putrescens inter fermentandum, præter solis accedentem calorem, miseros adurat & torqueat: vidi tales ex Laconicis his egre-

dientes, finita cura, per totum corpus rubentes ad instar cancrorum elixorum qui nuper testam vernantes deposuerant: adeo per adustionem continuam cutem lædunt, ut cuticula inde tandem penitus abscedat. Et hoc facto tamen in tantum per sordidissimam hanc curam a sordido malo curantur, in quantum luem Veneream per sudores continuos & copiosiores sanare licitum est.

Et sic habes præcipuas *Aëris Warsaviensis alterationes ex Ventis, Aquis & Soli conditione* emergentes, quas, dum sine præjudicio & sub generali conceptu consideramus, de propriis, non ascititiis illis ex negligentia & immunditie ortis loquendo, possumus probare, Aërem Warsaviensem, a ventis Orientalibus & Occidentalibus potissimum ventilatum, a dulcibus Vistulæ exhalationibus humectatum, præterea autem ex sulphureis & salinis effluviis ex terra ortis impraegnatum, non aliter quam valde salubrem esse posse. Unicum saltem restat explicandum, scilicet, *unde rigidior nihilominus ab advenis delicatioribus inveniatur Warsaviensis aura*, fructibus præterea oporinis ac durioribus maturandis minus favens, & quod a Medicis quibusdam observatum fuisse audivi, vulneribus, ulceribus & Ophthalmiis curandis notabiliter contraria. Quod meo quidem judicio, & donec feliciora ingenia hanc quæstionem examinaverint accuratius, *a balsamicarum particularum in aëre inopia* deducendum erit. Nam quod ætheræ non æque ac in aliis locis, huic aëri debeant sufficere, vix mihi persuadere possum, in specie dum considero, eandem Warsaviæ, cum omnibus aliis sub hoc climate jacentibus locis, observari solis activitatem, quæ ætherem aëris volumini atmosphærico nostro communicare & satis efficaciter imprimere potens est: & propter perpetuam territorii Warsaviensis planitiem, æstatis tempore, dum serenitas per aliquot septimanas vel menses etiam sine ventis vehementioribus, protrahitur, solis & caloris excessus tantus, quantus nec in Belgio, nec in Italia, fatentibus ipsis Italis, major esse possit,

hic

hic obſervatur: Balſamicarum autem particularum inopia in aëre Warſavienſis ac totius fere Sarmatici ſoli, a parciori & valde refracta ventorum Auſtralium ventilatione, non exclusis tamen penitus aquarum & locorum paluſtrium nitroſis, aluminoſis, ammoniacalibus effluviis, dependere videtur. Auſtralibus enim ventis, maximum, uti ſuperius jam notatum, impedimentum, ab immenſæ magnitudinis atque altitudinis Tatris, Bieſciadicis & Carpathicis ponitur montibus, qui Poloniam a Wallachia & Hungaria ex Meridionali plaga dirimunt. Cum alias *Auſtri ex Zona Torrida flantes*, uti ego quidem cum *Clariſſ. Sylvio in Tract. de Malo Epidemico Leidenſi Anno 1669. graſſante*, ſtatuo, *ordinarie alis ſuis Sal Oleoſum balſamicum ad nos Europæos tranſportant; propter ingentem aromatum & plantarum balſamicarum in illis partibus naſcentium copiam ex quibus concurrente Sole corruſco ac fervido igneisque ejusdem radiis, facile eliciuntur & attolluntur in altum, poſteaque ſuper nubes inferiores feruntur multa balſamica & oleoſa effluvia, quæ dicti venti mitioris opera per Zonam temperatam vehuntur verſus algidam, & ubique partem ſui aliquam, niſi manifeſtum obſtaculum impediat, ſubjecto aëri cedunt.* Ipſa autem Auſtri natura & proprietas ſpecifica in motu inſuper probat, parum de hoc ad nos venire: ex humili enim in ſublimia nititur ac valde lentus eſt, juxta ſuperficiem terræ curſum ſuum abſolvens, quia materia ex qua conſtat, terra tantum vel aqua egreſſa, non tam prompte nec tanta copia dilatatur, quam materia reliquorum, in ſpecie ſeptentrionalis, quæ plerumque a nubibus effunditur, & ventum in curſu rectilineum producit atque impetuoſum. Poſito etiam, aucto, per longinqua emenſa ſpatia, in ſublimia niſu, magnam partem Auſtralis venti ipſos Carpathicos montes ſuperare, & mediterranea vel planitiem Sarmatiæ perflare, vix aliud nobis, præter particulas & moleulas glaciales frigidas poteſt afferre, propter nives & glacies, quibus Tatri æquè ac alii in Europa Alpes, perpetuo, hyeme æque ac æſtate, ſunt tecti: notante enim *Kirchero in Mundo Subterr. Lib. IV. cap. 8. p. 233. Ventus exſpirans ex montibus nive coopertis, ſive ad ſeptentrionem, ſive ad Auſtrum, Orientem vel Occidentem,*

ſitum

situm suum obtineant, semper est frigidus. Atque ab hoc Austrini Venti defectu dependere potissimum fructuum fere omnium, præcipue arboreorum imperfectio atque immaturitas videtur: quod si enim mala pyra, pruna in Polonia nascentia cum aliis, non dicam in Italia vel Gallia, sed saltem in Germania, præsertim Saxonia, productis, compares, magnam in suavitate, dulcedine atque aromate, observabis differentiam: Et quæcunque etiam de bonitate fructuum Oleraceorum, inter quæ Melones, itemque horæorum & fugacium, quæ mala Persica & Armeniaca sub se comprehendunt, apud Warsavienses prædicentur, quod dulcedine ac maturitate nullis exoticis cedant, cum veritate tamen vix convenit, & qui hos fructus in Italia, Hungaria gustavit, fatebitur gratia ac dulcedine Warsavienses maturissimos etiam his esse longe inferiores: in oporinis autem atque autumnalibus differentia longe est manifestior, ac licet autumnus Warsaviæ satis aliquando clemens ac tepidus sit, quod tamen rarissime hic loci observari scias, nullus tamen ex pyris, pomis, prunis &c. fructus ad illam maturitatem & perfectionem perveniet facile, ut palato satis gratus, dulcis & aromatisatus blandiatur.

Ex eodem fundamento, & vi contrariorum, potest mea sententia probari *Vitis & Uvarum in Hungaria superiori bonitas & excellentia* per totum orbem celebrata. Quo magis enim excluduntur ab accessu Austrini venti Sarmatarum regiones & provinciæ, eo plus ipsis gaudent tractus illi, qui in superiori Pannoniæ parte, ad radices Carpthicorum Montium, vitibus & viniculturæ locum largiuntur aptissimum: in duplo enim auræ Austrinæ usura vineæ ibi gaudent; dum per immensam, post adjacentem Tibiscum fluvium, planitiem, venti Australes libere admittuntur, retro autem & a tergo ab altissimis montium jugis repelluntur, ut eo penetrantius & efficacius in terram & fructus ex ea nascentes agant. Et hæc etiam ratio est cur in Franconia, Palatinatu ad Rhenum atque Alsatia, Galliis etiam producta vina perfectionem & Necta-

Nectaream dulcedinem illam non acquirant; licet enim liberrimus & propinquior etiam auræ Australis ibi detur accessus, deficit tamen repercussio & reactio duplicata, quia nulla dantur in eorum vicinia tam alta montium juga; id quod etiam de Belgra densibus Wallachicis & Græcis vinis statuendum erit, quæ vehementia quidem sunt fortia ac caput turbant inebriando, gratia autem ac dulcedine fere omni carent: non me quidem fugit, & soli conditionem, quæ in Hungaria calcariam naturam communiter habere creditur, refer. *Jac. Tollio Epist. Itin.* 5. *p.* 144. ad vini bonitatem multum posse conferre, si autem hanc cum aura balsamica calida conferes, parum officere illam præ hac fateberis: et fortassis nulla datur per totum orbem uvarum & fructuum maturitati adeo favens Aëris, concurrente Austrina aura, temperies, qui in hoc Pannoniæ superioris angulo: firmiterque persuasus sum, quod, etiamsi in Ægypto & Mauritania invenirentur loca & ratione soli & montium viniculturæ faventia, atque ventis ex Lybiæ arenosis calidissimisque desertis spirantibus proxima, nunquam tamen ibi vinum tam genorosum nasciturum: Hoc enim præter jam dicta probe etiam notandum, quod nimia ventorum Australium siccitas & calor urens mirum quantum in Hungaria temperetur, & mitiorem induat naturam, dum in transitu super maris mediterranei longe lateque diffusum spatium, aliquid vaporum secum abripit, moderateque fit humidus, quæ humiditas postea dum Siciliæ atque Italiæ Paradisum transit balsamicis ex plantis ibi nascentibus viribus denuo impraegnatur, vereque atque optime præparatur, ad impressionem dictis Hungariæ vineis communicandam. Et quia a tergo, Aquilonis contrariæ operationes & effectus, per altissimas illas Tatrorum Alpes arcentur, locus hic per naturam unicus & privilegiatus ad producenda generosissima vina perpetuo manebit.

Ultimo loco adhuc monendum aliquid *de conditione Cœli Warſavienſis, ratione quatuor anni temporum, Vernalis, puta, Æſtivi, Autumnalis & Hyemalis*, nobis incumbit. Communiter autem, quod durationem horum temporum attinet, non adeo inſignis hic occurrit, reſpectu ipſius Germaniæ, differentia, bene autem reſpectu qualitatis. Quantus enim æſtus, Julio & Auguſto menſe, interdum hanc regionem exagitet, ex modo dictis patet: brumalis autem temporis ſævities eo eſt hic vehementior, quo magis locus, propter ingentem planitiem, ventis Orientalibus ac Borealibus exponitur. Vernalis Aëris temperatura anticipare hic utplurimum ſolet, aſt inconſtantiſſima eſt, & gelu ex improviſo iterum ſuperveniente, valdopere decipit incautos atque inexpertos. Quare commune apud Warſavienſes uti & alios Poloniæ incolas proverbium eſt, Pelliceas veſtes ante Pentecoſten non exuendas, & brevi poſt S. Johannis feſtum iterum induendas eſſe. Quæ ipſa liceat hic per aliorum obſervationes roborare: ita *Sarnicius in ſuis Annal. p. 324.* meminit, *Anno 1353. regnante Caſimiro III. Rege, Magno appellato, cum Martius, Aprilis & Majus ultra medium, verno atque æſtivo calore, ad calamos & ariſtas, ſegetes produxiſſet, coorto derepente acri frigore & gelu, nix duos cubitos alta terras operuit, & in ſeptimum usque diem duravit. Et cum omnes jam exiſtimarent, ſegetes corruptas, ubertas frugum præter ſpem tanta coorta eſt, quante vix unquam alias fuit.* Et *Chwalkowius*, qui *de ſingularibus Poloniæ Schediaſma* edidit, *p. 103.* ſcribit, *currente Anno, 1686. puto, menſe Januarii & Februarii, adeo tepidam Warſaviæ habuimus tempeſtatem, ut murarii operas ſuas exercere potuerint, ſed menſe Martio intenſum frigus ſubſecutum fuit.* Similem vernalis aëris anticipationem & ipſe ego obſervavi Anno 1724. dum menſe Februario ex itinere, quod pro curando exercitus Poloniæ Magno Duce ſuſceperam, Leopoli redux eram, ubi inter proficiſcendum, ceſpites hinc inde virentes, fruticeſque in ſylvis gemmas protrudentes, obſervavi inuſitato ſpectaculo. Æſtivo tempore autem, licet interdum tanta, uti dictum jam, Warſaviæ obſervetur caloris vehementia, rariores tamen tempeſtates fulgure, tonitru & procellis

cellis horridæ. Et vera loquor, si dixerim, me per annum unicum in Saxonia degentem plures ejusmodi obſervaſſe tempeſtates, quam in Polonia & in ſpecie Warſaviæ, per quatuor luſtra: quod illis difficile non erit creditu, qui conſiderabunt, nubes liberiorem hic, propter continuam terræ planitiem, habere curſum, nec ita impediri vel in anguſtias cogi, uti in locis montibus obſitis.

Diſcurſus noſtri nexus de Aëre Warſavienſi, ſub quo & ſoli conditionem comprehendimus, nondum permiſit *Animalium agrum Warſavienſem incolentium* mentionem facere: hanc autem ne ſicco penitus pede tranſeamus, ſub finem hujus capitis aliquid de his annectere viſum eſt. Nolumus autem hac in re ampliores eſſe, aut hiſtoria animalium ex aliis repetita, Theriotropheum Sarmatiæ hic erigere, & cum *Schvvenckfeldio* crocodilos & gryphes inter animalia Poloniæ, ſicut ipſe cum Sileſia ſua fecit, producere. Sufficiat ex paucis animalibus ubique alias notis pauciſſima allegare, quæ aut alibi terrarum non adeo copioſe inveniuntur, aut quæ alias ob rationes, ſingularem attentionem mereri nobis videntur. Nam quod ex quadrupedibus nulla fere, exceptis ſolis cervis, Warſavienſi ſolo & ſylvis inter feras ſpecies deficiat, res eſt notiſſima, & alibi propoſita: ſaltem Reptilia quod attinet, hoc Warſavienſis ager ſingulare habet, præ aliis regionibus, quod *Viperas* alat in copia. Intelligo autem per Viperas, ſerpentum illam ſpeciem, quæ vivos parit catulos, ovis intus conceptis atque excluſis, ſquamoſa eſt, maculoſa, longitudine cubitali & plus, collo anguſto, capite latiori, dentibus caninis inſtructo: Polonicè appellatur *Smia.* Præcipue autem magnus viperarum proventus eſt prope *Favori*, villam civitatis uno ab Urbe lapide diſtantem, inter colliculos illos & convallia, quæ ex prædio hoc ad Viſtulam ducunt: ubi primo vere, & ſtatim ac ſub Aprilis initium ſolis radii glacialem terræ cruſtam colliquarunt, ex antris ſuis ſub corylorum & alni arborum radicibus formatis, prodeunt,

& a Marsis aut Ophiodioctis in copia capiuntur. Quo nominato loco non excludo tamen alia trans Vistulam sita, ex qua altera fluvii parte, multæ etiam apportantur. Mirum autem quanta varietas hic, in illa serpentum specie, quæ viperæ appellantur, observetur: conquisitis enim hinc inde præterito anno pluribus in officina Regis pharmacevtica, sequentes examinavi, & secundum colorem, magnitudinem & alias conditiones, sequentem in modum distinxi:

1. Vipera coloris ex fusco cinerei cum maculis in dorso itidem fuscis ast obscurioribus vel nigricantibus, quas maculas *J. Rajus in Hist. Serpentum*, lineam utrinque dentatam, seu catenam macularum rhomboiδῶν appellat: in ventre erat coloris grysei vel ex nigro albicantis: mensuræ pollicum triginta & pl., non mensurato capite:

2. Ejusdem coloris alia, nisi quod in ventre pallidior & quasi cœrulescens, fœmina fortassis ad mentem *Raji*, viginti sex pollices, longitudine exæquans.

3. Ejusdem coloris tertia, ast paulo dilutioris in dorso, iisdemque maculis ornata, parum tamen obscurioribus, pollicum viginti longitudinis. Has tres species pro una fere habeo: appellantur Germanicè communiter *die Hasel-Schlangen*, & creduntur esse venenatissimæ:

4. Tota nigra in dorso sine maculis interspersis, in ventre cœrulescens, capite angustiori, longitudinis pollicum septem supra viginti:

5. Ex gryseo colore albicans, cum maculis in dorso totis nigris, eodem modo ac fuscæ superius allegatæ, signata, pollicum viginti quinque mensura:

6. Tota in dorso ex fusco rubentis coloris, cum maculis obscurioribus, in ventre autem continuo tractu rubens & flammea, longitudinis pollicum sedecim saltem, capite paulo angustiori: valde hæc dicitur esse venenata, atque a Germanis appellatur *die Feuer-Schlange:*

7. Co-

7. Colore tota cinericea, cœciliam repræſentans primo intuitu & externa forma, niſi quod oculis manifeſtè, prætereaque dentibus inſtructa ſit caninis; longitudine octodecim pollicum æquat menſuram, & durioris ad tactum eſt conſiſtentiæ præ cæteris.

Alio tempore inter exſpatiandum Botanices cauſa, cum amico inveni in ſylva Bielanenſi veram *Cæciliam*, quæ oculis quidem non penitus caret, ut vulgo creditur, qui tamen adeo obſcura habent veſtigia, ut vix appareant in capite: nullos autem hæc habet caninos, bene autem alios dentes in inferiori maxilla duplici vel triplici ordine, ſubtiliſſimos, & tactu potius quam viſu explorandos.

Niſi ſcopus noſtræ tractationis fabulis & ſuperſtitionibus potius exterminandis quam propagandis inſerviret, poſſemus hic, poſt ſerpentum & viperarum agri Warſavienſis incolarum & *Baſiliſci* mentionem facere. Neſcio enim quo fato Warſavia noſtra quondam hanc ſubiit infelicitatem, ut, ac ſi Baſiliſcus anno Chriſti 1587. in hac urbe detectus fuerit, relationes hinc inde ſparſæ eſſent. Quis primus fuerit hujus commenti autor, dicere non poſſum, ex relatione aliorum autem, dum in Polonia per breve tempus verſaretur *Joh. Pincier*, Doctor & Profeſſor Marburgenſis, aut a ſolo D. Moſano Epiſcopo quodam, hanc audivit fabulam, poſteaque *ænigmatis ſuis* inſeruit *Lib. III. Specim.* 23. Ex his *Dan. Sennertus*, alias inſignis & eruditus vir, quod dolendum pro complenda ſua ſcientia naturali, ne Baſiliſcus ſerpentum omnium Rex & Dominus putatitius, deficeret, idem fabuloſum commentum repetiit *Lib. VII. cap.* 10. ex quo poſtea *Gockelius* & alii, unus ex altero, de monſtroſa novitate valde gaudentes, exſcripſerunt hiſtoriolam, donec tandem etiam Hiſtoricus quidam *Nicolaus Chvvalkovius* (qui quam infelix alias fuerit in relationibus ſuis Jus Publicum Poloniæ ſpectantibus, *Anonymus in Exercitatione* ſingulari, huic operi accommodata, *&* 1685.

publicata, demonstravit,) fabulam cum omnibus circumstantiis a *Pincierio* in medium primo allatis, additis aliis mendaciis, quibus Warsavienses credulum mulctarunt, in *Singularibus Poloniæ* recensuit. Tædet hic chartam onerare mendacio aperto, & historiam Basilisci Warsaviensis in extenso apponere, sufficiat monuisse, quod in Archivis tum Regio, quod in Arce conservatur, tum civitatis, quod in urbis curia prostat, ne χρὴ quidem de Basilisco Warsaviæ quondam reperto & viso inveniatur: siquidem pro rei veritate detegenda, non saltem ipsum Regni Cancellariæ Archivarium, sed etiam Senatoria dignitate conspicuum quendam Medicum Warsaviæ sollicitavi, ut Annales evolverent, qui etiam in scripto sua mihi largiti fuerunt testimonia, quod ex Annalibus nihil de Basilisco Warsaviensi probari possit. Pertinet igitur ad nugas & aniles fabulas hæc *D. Pincier* relatio: nunquam enim per totum terrarum orbem, monstrum ejusmodi alatum cum galli Indici capite & paleari, cruribus oblongis, cauda serpentina incurvata & sursum reflexa, visum fuit aut recensitum ab Historiæ Naturalis scriptoribus non suspectis: Et id quod famosissimus apud Germanos Medicus & Chymicus *G. W. Wedelius, Dec. I. Ann.* 3. *Observ.* 128. communicare cum depicta figura, ex propria experientia, dum Gothæ quondam monstri ejusmodi exuvias se vidisse asserit, non dubitavit, hoc *D. Joh. Jænisch* non Basiliscum, sed ex certa rajæ specie per artem sic formatum figmentum fuisse, docet in annexo huic observationi scholio, sicuti & ipse *Wedelius* in literis posthæc ad *D. Sal. Reiselium* datis fatetur, exuvias a se visas artificio conjunctas, & in Basilisci formam ad Autorum mentem & historiam effictas fuisse, fatente sic ipso Hamburgi illarum possessore. Verus Basiliscus, ut Scripturæ Sacræ, & quibusdam, qui saniori modo de hoc scripserunt Historiæ Natur. scriptoribus ex antiquis, sua constet autoritas, nihil aliud quam Serpens est infestissimus, uti jam *Sam. Bochartus in Hierozoico*, omnigena eruditione atque doctrina locupletissimo

ope-

opere, *Part. II. cap.* 10. *p.* 405. loqui amat, dum sub Basilisco, Regiam quandam malignamque admodum serpentis, qui summa veneni alios superat vehementia, intelligit speciem, & qualem e. g. *Aristoteles in Hist. Animal. Lib. VIII.* describit, & ὀφίδιον ἱερὸν appellat: recentiores autem, uti *Carol. Piso, Bontius, Garcias ab Orto, Bernier, Rob. Knox* & alii, vel viperam caudisonam, *Raetel-Slange* a Batavis appellatam, vel Serpentem Indicum coronatum, Viperam Indicam vittatam, *Cobras* Lusitanis nominatam, ut venenosissimas atque exitialissimæ malignitatis bestias, pro tali venditare possent serpentum Regulo & Basilisco.

Postquam de Viperis Warsaviensibus ita locuti fuimus, liceat his annectere *Insecta* quædam, quæ præ aliis Warsaviense solum infestare solent, quæ inter eminet in specie illud, quod *Gryllo-Talpa* ab *Ol. Wormio* & *J. Muralto in E. N. C. G. Dec. II. Ann.* 1. *p.* 154. *Niedzvviatek* autem a Polonis communiter appellatur, & insectum est minimum digitum longitudine & crassitie fere superans, cui ex ano utrinque fibræ duæ pilosæ egrediuntur, alvus ex octo plicis squamatis leviterque hirsutis castanei coloris construitur, dorsum alis binis acuminatis tegitur, pedes sunt quatuor in extremitate bifurcati, pectus munitur scuto testaceo paululum hirsuto, ad latera capitis utrinque, brachiorum loco, processus duo geniculati, duri ac chelarum instar serrati extant, talparum pedibus simillimi, caput intra sinum scuti latet acuminatum & barbatum, cornuaque duo infra oculos & post nasum eminent. Hoc insectum in hortis præsertim, magnum sementi ac radicibus infert damnum, & communis præterea apud hortulanos est traditio, læsionem ab ipsis homini inflictam esse perniciosissimam, carnemque inde per mortificationis speciem ita exedi, ut decidat per frusta, unde ut scorpiones metuuntur a quibusdam, & nomen inde Polonicum etiam traxisse videntur; *Niedzvviatek* enim æque scorpionem ac ursulum apud Polonos denotat; qua de venenositate hujus animal-

malculi nullam tamen certam allegare possum experientiam: illæ etiam Gryllotalpæ, quæ reliquis sunt hirsutiores, periculosiores simul esse creduntur.

Innocentiora longe sunt animalcula, ad Vistulæ aliorumque fluviorum & rivorum littora æstatis tempore frequentissima, quæ ad *Libellas* vel *Perlas* ab Autoribus referuntur. Illa species autem, de qua hic loquor, hoc singulare habet, quod præter aliarum Libellarum modum, tota cerei sit coloris, & cauda bifida longissima, vel duabus setis in insignem longitudinem productis sit instructa: cum notæ hactenus Perlæ ferrugineum & viridem lucidum in corpore habeant colorem, setis autem longioribus penitus careant. In Prussia hæc insecta vidi longe adhuc quam Warsaviæ copiosiora, & præsertim circa Mariæburgum, ad fluvium Nogat, ubi circa festum S. Johannis aliquando fluvium fere totum contegunt, piscibus in escam cedentia: hoc animalculum a quibusdam habetur pro Ephemero; & verum hoc est, quod non nisi per aliquot paucos dies conspiciantur circa illud tempus, fluviis & rivis innotantes hæ Libellæ. Apud nullum, quos mihi inspicere licuit, autorem, veram hujus iconem invenire potui, nisi apud *Blancardum in Theat. Insect.* ex Belgica in Teutonicam linguam translato, *p.* 95. *tab. XII.* ubi lit. G. sub Ephemeræ ex Galliis trasmissæ nomine, hoc nostrum animalculum figura perfectæ exprimitur.

Quod Avium ferarum æque ac domesticarum Warsaviensis tractus sit feracissimus, ex capite sequenti constabit, ubi de alimentis Warsaviensium verba facimus: hic saltem, ut singularem speciem allegare ex innumeris fere aliis, quas cum cæteris regionibus Warsavienses habent communes, liceat *Aves Nivales Wormii* & *Gesn.* aliis Passeres hyberni, Polonis *Snieguli* vel *Sniegulki* appellati: est autem avis colore in superna parte vel dorso ravi, inferne albi coloris, alaudam magnitudine æquans vel superans potius, sapore delicato & aromatico cum turdis certante, quæ cum nive advenit & dispa-

diſparet ſimul cum hyeme: Lowicienſe territorium quidem his avibus potiſſimum abundat, ex quo Warſaviam mittuntur dicto tempore in magna copia, quamvis & circa Warſaviam nonnunquam has apparere etiam certum ſit, præterea que Warmia & Pomerellia ſuas oſtendere poſſint. Ex his avibus, quando ſolito citius, Novembri menſe e. g. advolant, coloni hyemis præcocis ſimulque rigidæ inde præſagium ſumunt. Ex Autoribus inter Hiſtoricos Polonos ſolus eſt *Cromerus & Starovolſcius*, qui hujus avis mentionem faciunt, in ſpecie autem *Cromerus in Poloniæ deſcriptione*, *Reipublicæ diverſorum Autorum hujus Regni ex offic. Elzevir. inſertæ p.* 74. ſequentia habet: *Minorum aviculariam eſui aptarum ingens eſt copia: in his nobilis imprimis eſt ea, quæ in ſolis fere Lovvicienſibus campis cum nive exiſtit ac diſparet: avicula paſſere non multo major, quam a nive Sniegulam vocamus.* Præter hanc ſingularem & Maſſoviæ propriam avium ſpeciem, copioſæ ſunt aliæ ſylveſtres vel ferinæ edules, omnis generis: gallinagines, puta, perdices, attagenes, anates torquatæ, palumbi, urogalli; ita, ut quis cum *Lentilio in Curlandiæ memorabilibus E. N. C. G.* inſertis, facile horum nauſea capi poſſet, dum menſis frequentius inferuntur.

Ephemerides Meteorologicæ Warſavienſes,

ſive

Conſtitutio Aëris & Tempeſtatum, Warſaviæ per annos 1725. 1726. 1727. & 1728. quoad Barometrum & Ventos, obſervata:

AD cœli & aëris, quem ſpiritu continuo ducimus hiſtoriam penitius inſpiciendam, conditiones ejusdem variæ a gravitate ac levitate pendentes, potiſſimum ſpectant. Operam itaque & laborem in iisdem obſervandis non contemnendam poſuerunt omni tempore, non Medici ſolum, ſed & alii naturæ rerum contemplandæ ſtudioſi. Proxime elapſo autem ſeculo inſtrumenta etiam & machinæ fuerunt inventæ, quibus ponderis & elateris aëris momenta & mutationes ad ſenſum proponuntur. Non inanem igitur laborem ſuſcipiunt illi, qui ope horum inſtrumentorum ſingulis diebus aëris viciſſitudines, præſertim ex ventis, & deinde etiam ex aſcenſu & deſcenſu Mercurii in Barometro profectas, obſervant diligenter, diariisque conſignant. Quare ad imitationem Clariſſ. Virorum *J. Lockii*, (*) *Ramazzini*, *Schelhammeri*, *Camerarii* &c. obſervationes Barometricas & ventorum varietates per aliquot annos a me, juvante Domino *Gotofr. Rautenberg Geometra Reipublicæ jurato*, Warſaviæ collectas annectere præcedenti de Aëre Warſavienſi Hiſtoriæ operæ pretium duxi, ut ſcilicet eo ipſo & lecto-

(*) *Jo. Lockius* Obſervationes Barometricas ab anno 1666. usque ad ann. 1682. continuavit, quas *Rob. Boylei* Hiſtoriæ Generali Aëris inſertas eſſe, meminit *G. A. Hamberger*, *Tract. de Barometris*, *Cap. II. §. 5.*

lectoris curiositati, pro inspicienda penitius Aëris Warsaviensis constitutione satisfaciamus in tantum, simulque viam monstremus, qua ratione ad historiam de alteratione corporum, observationes ejusmodi applicari possint.

De Barometro autem, in favorem illorum, qui sufficientem nonhabent hujus instrumenti Meteorognostici cognitionem, præliminariter monere liceat, Mercurium ordinarie suspensum hærere in tubo hoc vitreo Torricelliano, notabili viginti & octo circiter pollicum vel digitorum altitudine, propter æquilibrium seu æquale pondus aëris Mercurio incumbentis: Et, cum res decisa & certa sit, aquam, aëre esse pluries graviorem, hinc merito quidem colligitur vulgo, hunc multis vaporibus aqueis onustum, quod pluvia instante fieri solet, esse graviorem, leviorem autem, quando destitutus vaporibus crassioribus, cœlum serenum est: unde etiam in *J. A. Borelli opere de Motion. Natur. a gravitate pendentibus, propositione* 115. sequens legimus postulatum: *Mercurius in fistula Torricelliana altius elevatur, dum aër nebulis pluviosis imprægnatur, ast postquam pluvia delapsa est, denuo Mercurius in fistula deprimitur.* Recentiorum autem naturæ curiosorum *Paschalii* e. g. apud Sturmium, *Mariotte in Essay de la Nature de l' Air*, ex qua suas descripsit regulas Anonymus in *Traité des Barometres*, qui in omnium est manibus, *Ramazzini in Ephemeridibus Barometricis Mutinensibus*, *Rud. Jac. Camerarii in Ephemer. Meteorologicis Tubingensibus*, aliorumque observationes mirum quantum a dicti *Borelli* & quorundam sui temporis, quos tanti viri seduxit autoritas, commentis differunt. Contrario enim prorsus modo frequenter observatum fuit, Mercurium sub tali ponderosiore aëre, humiliorem aliquando occupare locum, sub sereno autem altiorem. Singulare autem hoc phænomenon, explicationi motus Mercurii in tubo, respectu tempestatis, multas objicit difficultates: quales equidem non poterunt, uti existimo, felicius superari, quam si cum Illustri *Frider. Hoffmanno Halensi, Germanorum Plinio*, statuamus, spi-

 ranti-

rantibus ventis Auſtrinis vel Occidentalibus, multis humiditatibus onuſtis, utique plus materiæ, reſpectu hujus ponderis, contineri quidem tunc in aëre, aſt impeditiorem etiam ejus eſſe expanſionem, ſeu minori niſu ac celeritate premere corpora ſublunaria; cum ex adverſo, ſub aquilone & Orientali vento, liberrima ætheris & aëris ſuperioris fiat expanſio, conſequenter major longe inferioris preſſio: quocirca preſſus ſic inferior aër a ſuperiori rarefacto atque expanſo, majorem potentiam motus, & conſequenter majus pondus, in corpora ſublunaria omnia, & maxime in Mercurium exercet, quam alias, ſi copioſiſſimis etiam ſtipatus fuerit effluviis.

Quod ventos attinet, ſi cum his etiam non ſemper correſpondere videbis ipſas tempeſtatum mutationes, duplicem cogites ſæpe ſæpius eſſe ventorum conſtitutionem & curſum, alium ſcil. in ſuperiori aëris regione, alium vero in inferiori terræ proxima: & illum maxime differre nonnunquam obſervatum fuit ab hoc, qui terræ eſt proximior, & ſigna vel apluſtria ædium ſummitatibus implantata movere ſolet, quorum adminiculo, pro ventorum ſpirantium differentiis obſervandis uſi hactenus fuere curioſi, aliis certioribus adhuc dum deficientibus. Quem ventorum duplicem tractum, ex acutiſſimi Philoſophi *Wolffii* obſervationibus hic annotare neceſſarium duximus. Pleniorem autem applicationem ad ipſa Barometra de hac venti differentia, apud accuratiſſimum in ejusmodi phænomenis phyſicis Obſervatorem *G. A. Hambergerum Profeſſorem Jenenſem* invenimus *in Tractatu perquam erudito de Barometris*, ex quo *Cap. II.* §. 6. ſequentia ipſis Autoris verbis repetere operæ erit pretium: *in obſervatione ventorum* & applicatione hujus ad Barometrum, *circumſpectione opus eſt*, inquit, *cum frequentiſſime in aëris regione media alius plane ventus dominetur, quam in hac inferiore, ut adeo apluſtria, quibus turrium & ædium cacumina ornantur, ſimilesque ventorum indices, non ſufficiant. Quod cum pauci in hoc negotio adverterint, anomalias paſſim annotatas & obſervationes*

non-

nonnunquam planè contrarias, cum ordinariis phænomenis ne quidem per conjecturas ſemper conciliare licet. Sic die 22. Februarii, præſentis anni (1701.) aërem inferiorem perflabat Euro-Auſter, Sud-Oſt, Mercuriusque aſcendebat usque ad 7. grana ſupra 27. digit. Quod cum miraremur, quoniam die præcedente regnavit Corus, adeoque lapſum Mercurii expectaremus, deprehendimus manifeſto quasdam, nubes quibus matutino tempore diſtinguebatur cœlum, etiamnum agi a Coro, cum Euro-Auſter alias humiliores in oppoſitas impelleret plagas. &c.

Hæc de differentia venti, quoad mediam & infimam aëris regionem obſervabili: quod autem rationem dijudicandi viciſſitudines aëreas ex Barometri mutationibus, ad recentiores obſervationes exactam, attinet, nullam forte meliorem inveniemus hactenus quam illam, quæ a *B. Leupoldo, Mechanico Lipſienſi*, germanico idiomate expreſſa, atque ordinarie cum Barometris ab ipſo elaboratis pro explicatione uſus eorum diſtributa ac vendita fuit. Hanc igitur in Latinum idioma translatam, huic præfationi annectere conſultum duximus.

I.

Aſcenſus Mercurii indicat aërem graviorem, ex quo ſerena, clara, ſicca, conſtans tempeſtas præſumitur, quatenus aſcenſus altior aut depreſſior obſervatur.

Creſcit altitudo Mercurii ſerenitate cœli appropinquante, finita procella, inſtante frigore. In valle aut locis paludoſis collocato inſtrumento, altius extollitur Mercurius, quam in regionibus planis, aut in montibus; magis creſcit etiam altitudo Mercurii de nocte, quam de die.

II.

Deſcenſus Mercurii indicat aëris conſtitutionem leviorem, inſequentem propterea tempeſtatem tenebricoſam, pluvias, nivem, ventos, procellas, quatenus deſcenſus profundior obſervatur. Si itaque Hydrargyri deſcenſus celerior conſpicitur, tunc tempeſtates accelerare indicio eſt, quæ tamen minus diu-

 turnæ

turnæ eſſe ſolent. Et *hoc etiam de aſcenſu modo contrario eſt tenendum. Decreſcit altitudo Mercurii ante variatam tempeſtatem, & tempore æſtivo longius præcedit mutationem, quam hyemali. Nonnunquam profundius deſcendit Mercurius ingruentibus ventis vel procellis, quanquam nullæ pluviæ inſequantur. Quamdiu Mercurius lineam æquationis non transgreditur aſcendendo, conſtans tempeſtas non eſt expectanda.*

III.

Quando ventum S. vel S. W. ventus N. vel N. O. ſequitur, deſcendit quidem Mercurius, ſed pluviæ non apparent.

Flante ad tempus vento N. vel N. O. deſcendit nonnunquam Mercurius, & tamen tempus ſerenum continuatur.

Ventus S. & S. W. pluvias producit, maxime ſi ventum W. inſequatur.

Qnando N. vel N. N. O. ventum O. N. O. excipiunt, tempeſtas ſerena non immutatur, deſcendente quamvis Mercurio aliquantulum.

Sequuntur jam ipſæ Tabulæ Meteorologicæ Warſavienſes, de quibus hoc unicum adhuc monendum, quod hiatus in his a duodecima Martii ad vigeſimam tertiam Junii anni 1728. ratione tempeſtatis alias quotidie annotatæ, hic autem deficientis, occurrens, morbo Obſervatoris ſuperius nominati in acceptis ſit ferendus.

Dies

Dies.	Barometrum. mane	vesperi	Venti.	Conſtitutio tempeſtatis. *Januarius.* 1725.
1	13	16	S O.	Mite, nive tamen non liqueſcente, nubilo-frigido-ſerenum cœlum,
2	13. 2	15	S S O.	Nubilo-humido-ſerenum cum frigore nocturno,
12	18. 2	18. 1	O. S. O.	Sereno- nubilum, hora 2da tonitru cum pluvia, vento &
13	20. 2	20. 1	O.	- - frigido- calidum, (grandine,
14	19. 2	19	S.W.NO.O	- - nubilo- pluvioſum,
15	19	19	O.	Frigido- ſerenum,
16	18	16. 3	W. O.	Sereno- nubilo- calidum,
17	16	16	W. S. SSO.	Idem,
18	15. 2	15	S. SO.	Sereno- æſtuoſum,
19	15	15. 2	SO. W. N.	Nubilo- ſerenum, p. m. tonitru & pluvia,
20	15. 2	20. 2	O. SO.	Idem - - p. m. pluvioſum,
21	15. 3	16	O.	Calido- nubilo- ſerenum,
22	16	16	SSO. W. SSO.	- - ſubinde oritur tempeſtas cum tonitru &
23	16	17	S. W. N. O.	Continuatio, (pluvia,
24	18	18	O.	Serenum,
25	17. 3	18. 2	O. NO.	- - frigidum,
26	18	19	O.	Idem,
27	18	18. 3	O. NO.	Sereno- nubilo- ſiccum,
28	19	19	NO.	Frigido- ſereno- ventoſum, p. m. nubilo- ſerenum,
29	18	18	NO.	Sereno- calidum,
30	17. 3	18	ONO.	- - nubilum, noctu frigidum,
31	17. 2	17	O.	- - - ventoſum, ſiccum.

NB. A primo ad 6. hujus calorem habebamus, quo die XII. & ¾. hor. prima tonitrua audiebantur, æſtus & ſiccitas continuabat, donec XI. cum vento ex O. & XXII. à 2da ad 4. horam, pluvia, quæ terram recreabat, caderet.

Dies.	Barometrum. mane	Barometrum. vesperi	Venti.	Constitutio tempestatis. *Junius.* 1727.
1	17	17	O.	Sereno- nubilo- sudum,
2	16. 2	16	O.	Idem,
3	16	17	O. W. SW.	Continuat, - - sub vesperam pluviosum,
4	17. 2	17	SSO. S.	Idem - - siccum,
5	17. 2	17. 2	S.	Æstuoso- sereno- nubilum,
6	17	18	W. SW. N.	Cont. cum ventis,
7	17. 2	17	O. NO. *W.*	Nubilo- sereno- pluviosum, sequente tonitru,
8	17	18	N.	Frigido- nubilo- ventosum,
9	17. 2	16. 2	W.	- - sereno- nubilum,
10	15. 2	14	S. W.	Nubilo- sereno- pluviosum,
11	14	13	W. O. W.	- - calido- serenum, noctu pluviosum,
12	14	16	N. O.	Procelloso- nubilo- serenum,
13	17	19	O.	Sereno- nubilo- frigidum, ventosum,
14	19	18. 2	O.	Idem fere,
15	17. 3	17. 2	O.	Mane nubilo- pluviosum, exin æstuosum,
16	17	17	SO. N.	Sereno- æstuoso- pluviosum cum tonitru,
17	17. 2	18. 3	O. W. N.	Idem, - - sudum, hinc inde nubilum,
18	18. 2	19	O. SO.	Æstuosum admodum, p. m. tonitru, pluvia,
19	18. 2	18. 3	O. OSO.	Sereno- æstuosum,
20	18. 1	17	O. SSO.	- - nubilum,
21	16. 2	16. 2	SO.	- - æstuosum, tonitru absque pluvia,
22	16	15. 1	O. NO.	Continuat, cum pluvia,
23	15. 2	17	NO. NNO.	Ventoso- sereno- nubilum, frigidum,
24	16. 3	15	NNO.	Sereno- frigido- ventosum,
25	14	15	NNO.	Idem - - - nubilum,
26	16	16	NNO.	Frigido- ventoso- nubilum,
27	16	16	NNO. W. N.	Nubilo- sereno- pluviosum, vento adaucto,
28	15. 2	16. 2	N. W. O.	Continuat,
29	17. 1	18	O. NNO.	Frigido- calido- nubilum,
30	17. 1	17	N. NO. O.	Nubilum.

NB. à XXII. Maji ad XI. Jun. cœlum non erat pluviosum, sed postea sufficienter.

Dies.	Barometrum. mane	vesperi	Venti.	Constitutio tempestatis. Julius. 1727.
1	17	18	NO. O.	Sereno- nubilum,
2	18	19	O.	Calido- nubilo- serenum,
3	18. 2	17. 2	O.	Nubilo- serenum, ventoso- pluviosum,
4	17	15. 2	O. SO. S. O.	- - frigidum, p. m. hora 2da tonitrua enormia sunt audita cum grandine & pluvia secuta,
5	15	16	SSO. W. N.	Sereno- nubilo- pluviosum,
6	16	16	NW. W.	Continuat, - - -
7	14	13. 2	SO. W.	Idem, - - ventosum,
8	13	13. 3	NO.	Eadem dispositio - - calidum,
9	13. 2	14. 1	NO. W.	Serenum,
10	14	14	N. W.	Pluvioso- ventoso- nubilum,
11	14	14. 2	W. N.	Idem - - frigidum,
12	14. 1	15	NNO.	Sereno- nubilo- pluviosum,
13	15. 1	15. 2	NNO.	Nubilo- calidum, noctu frigidum,
14	15. 2	17	NNO.	Sereno- nubilo- frigidum,
15	17	18	N. W.	Idem fere,
16	18	18	NO.	Serenum,
17	19. 3	18. 2	NNO.	- - nubilo- frigidum,
18	18. 1	18	N.	Continuat - - pluviosum,
19	18	18	N.	- - calidum,
20	17. 2	18	N. W.	Idem,
21	18	17. 2	NO.	Mane pluviosum, circa meridiem sereno- sudum,
22	17. 2	17	NNO.	Sereno- nubilo- calidum,
23	16. 2	17	N.	- - -
24	16. 3	16	N.	Idem,
25	15	14. 2	N. W.	Nubilo- frigido- serenum,
26	14	14. 2	W. O. N.	Contin. - - 2½. hora tonitrua audita, & grando & pluvia secuta,
27	14. 2	16	NO.	Nubilo- pluvioso- serenum,
28	16	15. 3	N.	Idem,
29	15. 2	16	NO. N.	Sereno- nubilo- ventosum,
30	16	14. 2	O.	- - calido- nubilum,
31	14	16	O.	Nubilo- serenum cum tonitru & pluvia.

NB. Die 4. p. m. maxima tempestas cum pluvia per duas horas durans, oriebatur.

Dies.	Barometrum. mane	vesperi	Venti.	Constitutio tempestatis. *Augustus.* 1727.
1	16. 2	16. 2	O.	Frigido- nubilo- serenum,
2	16. 2	16. 2	O.	Idem - - p. m. calidum,
3	16	17	W.	Idem - - pluvia rara,
4	16. 3	16	W.NW.	Nubilo- frigidum,
5	17	18	SO.	Sereno- nubilo- calidum,
6	18	18	O.	Nubilo- calido- ventosum, pluviosum,
7	17. 2	17	SO.	- - frigido- pluviosum, p. m. serenum,
8	17	17	O. W.	Continuat. fere,
9	17	18	W. O.	Nubilo- sereno- calidum,
10	17. 3	18	O.	Idem,
11	18	18	O.	Sereno- nubilum cum pluvia secuta,
12	18	18. 2	O.	Idem,
13	18	18. 2	O.	Idem- ad pluviam dispositum,
14	18. 3	19	O. W.	Contin.
15	18. 2	18	W.	Nubilo- frigido- pluviosum, sub vesperam calidum,
16	18	18	N.W.	Sereno- nubilo- æstuosum,
17	18	18	W. O.	Eadem constitutio,
18	18	18	SO.	Continuat,
19	19. 2	21	O.	Continuat,
20	20. 2	20	O.	Continuat,
21	20	19	SW.	Nubilo- sereno- æstuosum,
22	18. 3	19. 1	O.	Idem,
23	19. 1	20	NO.	Sereno- frigido- ventosum, p. m. calidum,
24	19. 3	19	O.	Idem, absque ventis,
25	18. 3	18	O.	Sereno- nubilo- frigidum, à meridie calidum,
26	18	18. 2	NO.	- - frigido- ventosum,
27	20. 2	20. 2	W.	- - pluviosum,
28	20. 2	21	NNO.	Nubilo- frigido- sudum, p. m. calidum,
29	20. 2	19. 2	NO.	- - sereno- calidum,
30	19. 2	21	NNO.	- - p. m. calidius,
31	20	19	NNO.	Sereno- calidum.

NB. Hoc mense nulla, quæ humum penetrasset, cecidit pluvia.

Dies.	Barometrum. mane	vesperi	Venti.	Constitutio tempestatis. *September.* 1727.
1	19. 2	20	O.	Sereno- nubilo- calidum, p. m. ventoso- pluviosum,
2	18. 1	19. 1	SO. O.	- - calido- pluviosum,
3	17. 2	16	O.	Pluvia noctu, nubilo- calido- serenum,
4	20. 1	19. 2	W.	Idem absque pluvia,
5	18	18	O.	Sereno- nubilo- nebulosum, calidum,
6	17. 2	16. 1	O.	Nebula densa, sereno- æstuosum,
7	16. 1	15. 3	O.	Sereno- calidum,
8	14. 2	15	SO.	- - æstuoso- nubilum,
9	19	20. 1	S.	- - turbido- pluviosum,
10	18. 2	19	SW.	Calor æstivus, serenum,
11	17. 2	18. 1	SO.	Continuat,
12	16	16	O.	Idem,
13	16. 3	15. 2	O.	Frigido- calido- serenum, p. m. æstuosum,
14	15. 1	16. 3	W.	- - nubilo- serenum,
15	14. 2	13. 1	SO.	Nubilo- sereno- calidum,
16	10. 2	11	SO.	Frigido- nubilo- pluviosum,
17	11. 1	12. 2	NO.	Sereno- nubilo- calidum,
18	10. 2	9. 3	NO.	Continuat,
19	11. 1	10. 2	OSO.	Nubilo- pluvioso- serenum,
20	12. 2	11. 3	O.	Nebuloso- sereno- nubilum, calidum,
21	15. 1	16. 2	O.	Frigido- serenum,
22	16. 2	17. 3	O. N.	Sereno- nubilo- pluviosum, p. m. calidum,
23	14. 1	15. 2	NNO. N.	Idem fere absque pluvia,
24	13. 2	12. 1	SO.	- - æstuosum,
25	11. 1	13. 2	O.	- - calido- ventosum,
26	20	19. 1	O.	Idem,
27	19. 2	18. 2	S.	Sereno- turbido- pluviosum,
28	17. 1	20. 1	O.	- - nubilo- calidum,
29	16. 3	19. 1	SO.	Nubilo- frigido- serenum,
30	15. 2	15	SO.	Nebuloso- nubilo- calidum, noctu pluviosum,
	14	15. 1		

NB. Hic mensis serenus & magis æstuosus erat, quam Julius & Augustus, siccus tamen quod bonam vindemiam promittebat; Frumenta pariter ac fructus hortenses bono venibant pretio,

Dies.	Barometrum. mane	vesperi	Venti.	Constitutio tempestatis. *October.* 1727.
1	18	18	SO.	Nubilo- calido- serenum, ventis parum spirantibus,
2	19. 2	19	W.	Nubilo- ventosum, à meridie calor æstivus, sudum,
3	18. 1	18	W.	- - sereno- calidum, exin ventoso-frigidum,
4	17. 2	17	W.	Idem fere,
5	16	17. 2	N. NNO.	Continuat,
6	18. 1	18. 2	N.	Sereno- nubilo- frigidum,
7	19	19. 3	SSO.	Frigido- serenum, noctu nubilum,
8	20	21. 2	SO.	Sereno- frigidum, p. m. nubilo- mite,
9	21. 2	20. 3	W.	Mite, nubilo- pluviosum, p. m. calido- procelloso- pluviosum,
10	19	19. 1	W.	Calido- nubilo- nebulosum cum serenitate,
11	17	17	W.	Nubilo- sereno- calidum,
12	16. 2	16. 1	SW.	Continuat,
13	16. 1	15. 2	S. W.	Idem,
14	17. 2	17	W.	Nubilo- pluviosum,
15	18	18. 1	WSW. SO.	- - humido- serenum,
16	16	14. 2	SO.	Sereno- nubilo- calidum, noctu pluviosum,
17	14. 2	13. 1	W.	Pluvioso- nubilo- calidum,
18	12. 1	12. 2	W. N. O.	Sereno- ventoso- nubilum,
19	10. 2	9. 1	NW.	Idem,
20	9. 1	8. 2	W.	Idem, autumni ad instar,
21	16. 2	17. 2	WSW.	Sereno- calidum,
22	18. 1	19. 1	W.	Admodum ventoso- nubilo- frigidum, pluviosum,
23	12. 2	16. 3	S. W.	Nubilo- nebuloso- ventosum, serenat,
24	10. 1	14. 1	W.	Sereno- nubilo- sudum,
25	11. 2	11. 2	NO.	Nubilo- humido- frigidum,
26	12. 1	12	S. SSO.	Sereno- frigido- nubilum,
27	13. 2	12. 2	SSO.	Nubilo- frigido- humidum, p. m. ad mediam usque noctem pluviosum,
28	12. 1	11. 1	SSO. S.	- - calido- humidum, ab hora XI. pluviosum in noctem usque,
29	10. 2	9. 2	S.	- - nebulosum, subinde pluvioso- calidum,
30	11. 3	10. 1	W. N. W.	- - pluviosum,
31	9. 1	9	S.	Nubilo- humido- frigidum,

NB. Die 6. & 7. noctu frigescere incipiebat.

Dies.	Barometrum. mane	vesperi	Venti.	Conſtitutio tempeſtatis. *November.* 1727.
1	19	19	S. W.	Calido- humido- ſerenum,
2	18. 2	18. 1	SW.	Nubilo- frigidum, ſole interdum diſparente,
3	17. 1	17	NO.	Sereno- nubilum,
4	16. 2	16	W.	Pruina, frigido- nubilo- humidum, noctu pluvioſum,
5	15. 2	15	SW.	- - cum frigore aucto & ſerenitate,
6	13	13. 1	SW.	Nubiloſo- pluvioſo- ventoſum, denique ſerenum,
7	12. 2	14	SO.	Frigido- humido- ventoſum, noctu pluvioſum,
8	14. 1	15	SW.	- - pluvioſum,
9	13. 2	12. 1	NW.	- - p. m. ſereneſcere cœpit,
10	12. 2	11. 3	NW.	Frigido- ſereno- turbidum,
11	19	19. 2	NNW.	Idem,
12	20. 1	21. 1	NNW.	Sereno- frigidum,
13	15	15. 2	SSO.	Frigido- nubilo- nivoſum, ſub veſperam pluvioſum,
14	14. 1	13. 2	SSO.	- - humidum,
15	12. 2	12. 1	SSO.	- - ſerenum, noctu nivoſum,
16	9	9. 1	S.	Continuat,
17	8. 2	8. 2	N.	Frigido-humido- mite, circa veſperam ſerenum, noctu fri-(gus intenſum,
18	10. 1	11	SO.	Frigus continuat cum nebula denſa,
19	11	11. 2	O. W.	Nubilo- nebuloſum, p. m. humido- pluvioſum,
20	10. 2	11. 1	W.	Sereno- frigido- humidum, p. m. grando, pluvia, procella,
21	8. 1	7. 2	W.	Ventoſo- ſereno- nubilum,
22	9. 2	8. 1	W.	Turbidum cum frigore imminuto,
23	15	16. 2	SO.	Frigido- ſerenum,
24	17. 1	18	SO.	Continuat, cum nubibus,
25	18. 2	19	OSO.	- - nebuloſum, ſub veſperam mite,
26	19. 1	19. 2	SO.	- - p. m. nubilum,
27	18	18. 1	SO.	Frigido- nubilo- ventoſum,
28	16. 1	17. 2	W.	Idem absque ventis,
29	9. 1	8. 1	W.	Nebuloſo- turbido- frigidum, p. m. hora V. pluvioſum,
30	10	10. 1	W.	Nubilo- frigido- humidum.

Die 13. primum ningebat, p. m. nix liqueſcebat. Viſtula 26. hujus glacie fluere incipiebat.

Dies.	Barometrum. mane	vesperi	Venti.	Constitutio tempestatis. December. 1727.
1	15. 1	15	NW.	Turbido- mite- humidum, obnubilatum,
2	15. 3	14	W.	Idem fere, ventosum,
3	16. 1	16	SO.	Frigido- humido- serenum, nubibus obductum,
4	17	17. 1	SW.	Intense frigido- nubilum, p. m. mitius, serenum,
5	18. 2	18. 1	SW.	Frigido- sereno- nubilum, mitescit, noctu pluit,
6	14	14	W.	- - nubilo- leviter pluviosum, ventis simul flantibus,
7	13	13. 2	W.	Idem,
8	10	10. 1	W.	Nebula densa, pluvioso- nubilum,
9	9. 1	9. 2	W.	Continuat,
10	11. 1	11	W.	Idem,
11	9	9. 1	W.	Continuat fere,
12	8. 2	8	W.	Idem,
13	7	7. 2	S.	Turbido- nebuloso- pruinosum,
14	9. 2	10. 1	S.	Idem - - circa meridiem serenum,
15	12	13. 2	S.	Idem - - serenat,
16	13	14. 1	S.	Sereno- nubilo- pluviosum,
17	15. 2	15. 2	SSO.	Nubilo- nebuloso- frigidum,
18	14. 1	14. 3	SSO. W. N. W.	- - calidum,
19	12	12. 1	W. O.	Frigido- nubilo- ventosum,
20	15	14	O.	Frigidum cum vento ex O. valide spirante,
21	9. 1	9. 2	SO.	- - nubilo- mite, noctu nubilo- pluviosum,
22	9. 2	9	SSO.	Nubilo- serenum,
23	11	11. 2	SSO.	Calido- nubilo- ventosum, circa noctem pluviosum,
24	12	12. 1	SSO.	Sereno- nubilum,
25	13	13. 2	SSO.	Calido- nubilo- serenum, noctu pluviosum,
26	11	11. 2	SSO.	Nubilo- calidum,
27	10. 1	9. 3	SSO.	- - humido- ventosum, noctu ningit,
28	9. 2	8. 1	SSW.	Nivem tenuem liquefactio ejusdem & procella excepit,
29	8	8. 2	W. SSO.	Nubilo- procellosum, nive liquescente,
30	10. 1	9	SSO.	Procelloso- frigido- humidum, p. m. calido- sudum,
31	11	11. 2	SSO.	Calido- nubilo- sudum, p. m. frigidum.

Dies.	Barometrum. mane	vesperi	Venti.	Constitutio tempestatis. *Januarius*, 1728.
1	18.2	19	SSO.	Mane procellosum erat, postea nubilo- frigido- serenum,
2	19. 3	20. 1	SSO.	Serenum,
3	20. 2	20. 3	SSO.	Sereno- frigidum,
4	19. 2	18	SSO.	Idem,
5	17. 3	17. 3	SSO.	Contin. - - p. m. nubilum,
6	17. 1	16. 1	SSO.	Nubilo- ventoso- frigidum,
7	15. 3	14	SSO.	Frigore aucto, sereno- nubilum,
8	13	12	SSO.	Continuat fere,
9	10. 3	11. 1	SSO.	Idem,
10	10. 2	10	W.	Nubilum, frigore imminuto, p. m. procelloso- nivosum,
11	10	9. 3	NO.	Continuat,
12	8	10. 2	SO.	Mane ningit, ventis valide spirantibus, noctu frigidum (erat,
13	12. 2	13. 3	SSO. NO.	Frigido- nubilum,
14	13	13	N.	Sereno- frigido- nubilum, p m. mitius,
15	14	14	O.	Admodum frigido- nubilo- procellosum
16	14. 3	15. 2	O.	- - ventosum, p. m. mite cum nive tenui,
17	15. 3	14	SO.	Nivoso- frigido- nubilum cum vento,
18	13	11. 3	SO.	Frigido- nubilo- mite, cum ventis & nive,
19	11	10	SSW.	Mane nix tenuis, deinde nubilo- frigido- humidum, subsecuta pluvia,
20	10	12	W. SO.	Nubilo- humidum, cum liquefactione nivis, ventis insuper spirantibus per diem, noctu sudum,
21	11. 3	12	SO.	Nubilo- serenum, frigore parum imminuto,
22	12	12	SSW.	Continuat, - - noctu nix liquescere incipit,
23	12	11. 3	SSO.	Nubilo- humido- nebulosum, pluviosum,
24	11. 3	12. 2	SSO.	Mane pluviosum, exinde mox nivosum, mox pluviosum,
25	12	13	SO.	Nubilo- serenum, nive liquescente,
26	14. 2	14	O.	- - humido- serenum, calidum,
27	13. 3	13. 2	SSO.	Continuat fere,
28	13. 1	13	SO.	Nubilo- sereno- calidum, noctu frigidum,
29	12. 1	12. 1	SO.	Turbido- nebuloso- calidum,
30	12	12. 2	SO. O.	Nebuloso- frigido- humidum, noctu nivosum,
31	13	14. 3	W. SO.	Nubilo- nivosum, p. m. pluviosum.

Die 16. noctu Vistula glacie ita obducta fuit, ut homines die sequenti transirent, die 23, supra Skariszow fracta, dieque 27. versus vesperam omnis glacies abiit.

Dies.	Barometrum. mane	Barometrum. vefperi	Venti.	Conftitutio tempeftatis. Februarius. 1728.
1	14	13	O.	Frigido- nebulofo- ventofum,
2	12. 2	12	O.	Frigidius, nivofo- ventofum,
3	10. 2	10	O.	Frigido- nubilum, cum grandine & pluvia,
4	10. 1	12	W.	- - ferenum, noctu nubilo- ventofum,
5	12. 3	14	W. SW.	Frigido- nivofo- nubilum, a meridie ferenum,
6	14. 2	16. 3	WSW.	Nubilo- frigidum, fole interdum apparente, mite,
7	18. 3	21. 1	WSW.	Sereno- frigidum,
8	20	23. 2	N. NO.	Admodum frigido- nubilo- fudum,
9	23. 3	24	N. NO.	Continuat, fere cum ferenitate,
10	24	24	O.	Frigido- nubilum, noctu nivofum,
11	24	22	O.	Idem - - p. m. mitius,
12	22	22	O.	Frigidius, ventofo- ferenum,
13	22	24. 2	O.	Idem absque ventis,
14	24	23. 3	O.	Idem - - nubibus obductum,
15	23. 2	23. 1	O.	Continuat, cum nive,
16	23	20. 1	NO.	Nebulofo- frigidum,
17	20	19. 2	N.	Nubilo- frigido- ventofum,
18	19	18	N.	Frigido- nubilo- nivofum, ventis ex W. valide fpirantibus p. m. mitefcit,
19	16. 2	16	O. W.	Nubilo- nivofo- humidum, liquefcente nive,
20	16	13	W.	Sereno- ventofum,
21	16. 1	19	S.	Admodum frigido- nivofum, a meridie mitius,
22	17	15. 3	SW.	Nubilo- humidum ad nivem liquefaciendam difpofitum, p. m. ventofo- frigidum,
23	15. 2	18. 2	NW.	Serenum, modo nubibus, modo nive diftinctum,
24	18. 2	15	S.	Nivofo- nubilum,
25	11. 2	12	S. SO.	- - ferenum,
26	12. 1	14	W.	Frugido- nubilo- mite, circa vefperam nivofum,
27	14. 1	14. 3	W.	Nivofo- nubilo- ferenum, noctu frigidum,
28	14. 2	16	SO.	Nebulofo- frigido- ferenum,
29	16	16	SO.	Frigido- ferenum, fub vefperam ventofum.

Viftula hoc anno per XI. dies faltem glacie obducta fuit. Die 28. tantum habuimus frigus, ut hora 8. mane iterum fteterit & 29. die victum & ligna transportare potuerint.

Dies.	Barometrum. mane	Barometrum. veſperi	Venti.	Conſtitutio tempeſtatis.
1	15	15	SO.	Sereno-frigido-ventoſum,
2	14	15	SO.	Idem absque ventis cum nivis liquefactione & calore,
3	15	15. 1	SO.	Nubilo-ſereno-ſudum absque frigore, continuante nivis liquefactione,
4	16	17. 2	S. NO. O.	Continuat, absque ſerenitate,
5	19. 1	19. 2	O.	Frigido-nubilo-humidum,
6	18	16	O.	- - ſerenum, noctu ventoſum,
7	15	16. 1	W.	Nebuloſo-humido-nubilum, noctu frigidum,
8	18	18. 2	NO. SSO.	Nubilo-humido-calidum, noctu frigidum,
9	18. 2	17	SSO.	- - ſereno-calidum, frigore minuto,
10	17	17. 2		Media nocte pluvioſum ad meridiem usque, calido-nubilum,
11	23. 1	22. 2	W. N. S. N.	Sereno-nivoſum.
12	19. 1	19. 1	NO.	
13	16. 2	17. 3	O.	
14	17	14	SO.	
15	13. 3	15. 3	SO.	
16	16. 2	17	SO.	
17	15	16	SO.	
18	16	12. 3	W.	
19	13	13	W.	
20	14. 3	17. 2	W.	
21	20. 2	20. 3	W. NW.	
22	19. 3	19. 3	NW.	
23	19. 3	19. 1	NW.	
24	18. 2	18. 3	W.	
25	19. 2	19. 1	W.	
26	18. 3	18. 2	SW.	
27	19	18. 3	W.	
28	17	17	S.	
29	16. 3	15. 2	SW.	
30	13. 2	13. 3	SW.	
31	12. 2	12. 2	W.	

Die 7. glacies Viſtulæ poſt meridiem fracta, abiit.

Dies.	Barometrum. mane	vesperi	Venti.	Constitutio tempestatis.
1	14. 3	14. 3	SW.	
2	15	15. 2	NO.	
3	16. 2	17	SO.	
4	17	17. 2	SO.	
5	17. 3	18	SO.	
6	18. 3	18. 2	S.	
7	17. 3	17. 1	SO.	
8	17	17	SO.	
9	16. 2	16. 3	SO.	
10	16. 2	16. 3	S.	
11	17. 1	18. 1	S.	
12	17. 3	18. 2	S.	
13	20	18. 2	W.	
14	14	14. 3	W.	
15	14	12. 1	NO.	
16	10. 1	9. 1	S.	
17	9. 1	14. 2	S.	
18	14. 2	18	W.	
19	18. 2	17. 2	SO.	
20	16. 2	15	SO.	
21	17. 1	16. 3	W.	
22	18. 2	18. 1	W.	
23	16. 1	15. 2	SO.	
24	15	16	SO.	
25	19. 3	20. 1	SW.	
26	20	20	SO.	
27	20	20	SSO.	
28	20. 3	21. 1	SSO.	
29	20	19. 3	SO.	
30	18	18	SW.	

Dies.	Barometrum. mane	vesperi	Venti.	Constitutio tempestatis. Majus. 1728.
1	18. 2	16	SO.	
2	16	16. 1	SO.	
3	15. 3	15. 3	SO.	
4	16. 3	18	S.	
5	19. 1	19. 3	S.	
6	20	19. 2	SSO.	
7	18. 2	18. 1	SO.	
8	17	16. 3	NO.	
9	16. 1	16	NO.	
10	16	16	NW.	
11	16. 2	16	SSO.	
12	15	15. 1	NO.	
13	16	16	NW.	
14	15. 1	15. 2	NO.	
15	16. 1	16. 2	SSO.	
16	17. 3	17. 2	S.	
17	18	18	S.	
18	19. 1	19. 3	S.	
19	22. 2	22	SSO.	
20	22. 3	22. 3	SW.	
21	22	22	W.	
22	21. 2	21. 2	W.	
23	21	20	W.	
24	18. 2	18. 2	NW.	
25	17	17	NO.	
26	18	18	SO.	
27	18. 1	18. 1	SSO.	
28	18. 2	18. 2	SW.	
29	17. 1	17. 1	WNW.	
30	17. 2	19	SO.	
31	19. 3	20	SSO.	

Dies.	Barometrum. mane	vesperi	Venti.	Conſtitutio tempeſtatis. *Junius.* 1728.
1	20	19. 3	SO.	
2	19	19	SO.	
3	18. 3	18	S.	
4	16. 3	16. 3	SSO.	
5	18. 2	18. 3	SW.	
6	21	20. 3	NO.	
7	18. 3	18. 3	NO.	
8	17. 3	17	SSW.	
9	16	15. 2	SW.	
10	16. 3	18. 2	SSO.	
11	19. 2	20	NO.	
12	20	20	SSO.	
13	20	19. 2	O.	
14	20	19. 2	O.	
15	19	19. 3	O.	
16	19. 3	19	O.	
17	18	18. 3	SO.	
18	19	18. 2	SSO.	
19	17. 2	17. 2	SW.	
20	17. 2	17. 3	SSO.	
21	17	17	SW.	
22	18. 3	18. 2	W.	
23	18	17. 3	SO.	Frigido- nubilo- ſerenum, calidum,
24	16. 1	16. 1	SW.SSO.	Nubilo- æſtuoſum,
25	16. 2	17	SSO.	Nubilo- ſereno- æſtuoſum, ſub veſperam ventoſum,
26	18. 3	19	NO.	Nubilo- ventoſum,
27	20	20. 3	NO.	Idem cum ſerenitate,
28	22	21. 3	ONO.	Continuat fere,
29	20	19.	NO.	Idem,
30	19	18	SSO.	Nubilo-ventoſo- æſtuoſum.

Æſtus hoc & præterito menſe cum ſiccitate magna valde intenſus fuit.

Dies.	Barometrum. mane	vesperi	Venti.	Constitutio tempestatis. Julius. 1728.
1	18	17. 2	NO. W.	Sereno-æstuoso-siccum, (pauca,
2	17. 3	16. 3	NO. W.	- - nubilum cum fulgure, tonitru & pluvia
3	17. 2	17	W.	Continuat, - - a meridie valde ventosum,
4	17. 1	17	NO.	Nubilo-sereno-ventosum,
5	17. 2	17. 2	NO.	Frigido-nubilo-serenum, ventosum,
6	19	18. 2	NW.	Sereno-nubilo-ventosum,
7	19. 2	19	N.	Continuat,
8	19	18. 2	N.	Nubilo-serenum,
9	18	17. 3	N.	Idem cum ventis,
10	18. 3	19	N.	Idem,
11	19. 1	19. 2	NNO.	Continuat,
12	21	20. 3	NNO.	Sereno-sudum, nubibus passim obvelatum,
13	20. 2	20	O.	Continuat,
14	20. 3	20	N. O.	Sereno-calidum,
15	20	19. 3	NO. O.	Nubilo-calidum,
16	18. 1	18. 1	NO.	Nubilum, circa meridiem parum pluvioso-ventosum,
17	18	19	NO.	Sereno-nubilo-calidum,
18	17. 2	16. 3	SO.	Continuat,
19	16. 1	19. 2	NO.	Idem cum ventis,
20	15. 2	16. 1	NO.	Idem,
21	19. 2	19. 1	SO.	Idem, - - - parumper pluit,
22	18	18. 2	SW.	Continuat - - æstuosum,
23	17. 1	17	NO. W.	Calido-nubilo-serenum,
24	18. 2	18	W.	Nubilum, ad pluviam dispositum, sub vesperam pluviosum,
25	19	19. 2	SW.	Nubilo-sereno-calidum,
26	18. 1	18	SW.	- - - cum ventis,
27	17. 2	17	SW.	Sereno-calidum, nubibus & ventis alteratum,
28	16. 2	17	SSO.	Æstuoso-serenum,
29	17	18. 1	NNO.	Nubilo-æstuosum, cum fulgure & tonitru,
30	19	20. 2	W.	Nubilo-ventoso-serenum, cum pluvia,
31	20	19	W.	Æstuoso-nubilum, cum vento & pauca pluvia,

Hoc mense ad 15. usque nulla, pauca postea cecidit pluvia, adeo, ut terra, hoc anno ne semel qvidem penitius humectata, magnam senserit ariditatem.

Dies.	Barometrum. mane	vesperi	Venti.	Constitutio tempestatis. Augustus. 1728.
1	18. 2	19	O.	Sereno- æstuosum,
2	17. 2	18	SO.	Nubilo- ventoso- siccum,
3	17	17. 1	SO.	Nubilo- sereno- æstuosum, parum ventosum,
4	17	18	W.	Continuat, absque æstu & ventis,
5	18. 2	17	O.	Sereno- æstuoso- ventosum,
6	18. 1	19	O.	Nubilo- serenum,
7	19. 2	19	N.	- - calido- ventosum,
8	20	20. 1	NO.	Continuat, cum pluvia pauca,
9	21	23	SSW.	Sereno- ventoso- nubilum,
10	24. 3	23. 2	SW.	Sereno- sudum,
11	23	22. 1	SSO.	Nubilo- calido- sudum, sub vesperam tonitrua & fulgura audiebantur, pluvia secuta,
12	23. 2	23	NNO.	Frigido- nubilum,
13	23. 2	24	NNO.	Nubilo- calido- serenum,
14	23. 1	19. 1	NNO.	Calido- serenum,
15	18	17	SO.	Sereno- æstuosum,
16	18	18	SO.	- - calidum,
17	20	20. 2	NW.	Sereno- nubilo- calidum,
18	20	25	W.	Nubilo- ventosum, ad pluviam dispositum, serenum,
19	24	24. 2	W.	Sereno- nubilum cum pluvia rara,
20	23	22	NO.	Frigido- nubilo- serenum, parumper ventosum,
21	22	22. 2	N.	Continuat absque ventis,
22	20	19	NO.	Idem cum ventis,
23	19	19. 1	NO.	Continuat, fere,
24	20	20	NO.	Idem,
25	19	19. 1	NO.	Nubilo- sereno- calidum,
26	17	18	N.	Idem,
27	15	15. 2	SO.	Idem - - æstuosum,
28	14	14	SW.	Continuat,
29	17	18	NO.	Nubilo- sudum, calidum tamen, per totam noctem pluviosum,
30	14	14	NNO.	Nubilo- pluviosum,
31	17	18	NO.	Continuat.

Mensibus April. Maj. Jun. Julio & August. nec tantum pluviæ cecidit, ut terra saltem inde fuerit humectata.

Dies.	Barometrum. mane	vesperi	Venti.	Constitutio tempestatis. *September.* 1728.
1	18	18. 1	W.	Nubilo-pluviosum,
2	19	20	NW.	Serenum cum pauca pluvia,
3	19	19. 2	SW.	Nubilo-pluvioso-serenum,
4	20	20. 1	SW.	Sereno-nubilo-calidum, parum pluviosum,
5	21	21	W.	Continuat,
6	22	21	W.	Nubilo-calidum,
7	21.2	21	NO.	Idem cum serenitate & ventis,
8	21	21	NO.	Idem fere cum dispositione ad pluviam,
9	20	21	W.	Idem absque serenitate,
10	19	19. 2	W.	Nubilo-sereno-calidum, cum ventis & pluvia,
11	18	17	N.	Continuat, sed absque pluvia,
12	19	20	SSO.	Idem fere,
13	18	19	O.	Æstuoso-sereno-nubilum, per dimidiam noctem pluvio-(sum,
14	20	19. 1	W.	Nubilo-calido-pluviosum,
15	21	20	W.	Idem,
16	19	18. 2	W.	Frigido-nubilo-serenum,
17	17	17. 1	NO.	Calido-nubilo-pluviosum,
18	18	18. 2	NO.	Idem, fere,
19	18	17	NO.	Nubilo-serenum, p. m. pluviosum,
20	16	15	W. NO.	Nubilo-calido-pluviosum,
21	14	13	W.	Continuat,
22	14.2	15	SSO.	Nebuloso-pluviosum,
23	16.1	16	SO.	Sereno-nubilum,
24	14	15. 1	SW.	- - calidum,
25	16.2	17	W.	Idem,
26	17	17. 2	W.	Continuat,
27	18	19	SO.	Idem,
28	20.2	20	NO.	Continuat,
29	21	22	W.	Nubilo-humido-pluviosum,
30	20	20	W.WNW.	Nubilo-pluvioso-frigidum, cum ventis.

Dies.	Barometrum. mane	vesperi	Venti.	Constitutio tempestatis. October. 1728.
1	20	19	N.	Nubilo-frigido-ventosum, circa meridiem serenum,
2	21.1	22	N.	Continuat,
3	21	20	NO.	Sereno-nubilo-sudum, frigidum,
4	20	21	NO.	Calido-sereno-nubilum,
5	17.1	16	SSO.	Sereno-ventoso-frigidum, noctu nubilum,
6	15.2	16. 2	SSW.	Nubilo-pluvioso-ventosum,
7	18	19	SSO.	Calido-sereno-nubilum,
8	18.1	18	O.	Nubilo-serenum,
9	18	17	SO.	Nubilum, ad pluviam dispositum, cum frigore,
10	19.2	20	SSO.	Continuat fere,
11	20.1	21	SSO.	Nubilo-frigido-ventosum,
12	18	17. 1	SO.	Idem cum pluvia,
13	19	18	SO.	Nubilo-sereno-calidum,
14	19	17. 1	SO.	Sereno-nubilum, vesperi & noctu pluviosum,
15	16	16	SO.	Nebuloso-humido-frigidum,
16	16.2	17	SSO.	Nubilo-humido-sudum,
17	17.1	16	SSO.	Mane nebula densa, nubilo-humido-frigidum, noctu (pluviosum,
18	15	15. 2	SO.	Nubilum, ad pluviam dispositum,
19	16	16. 1	SO.	Serenum,
20	15	14	NO.	Pluviosum,
21	19	20. 1	S.	Sereno-sudum,
22	21	20	S.	Pruinoso-serenum,
23	20.2	19	O.	Serenum,
24	20.1	21	SO.	Nubilo-serenum,
25	20	20	SO.	Sereno-calidum,
26	19.1	19	SO.	Idem,
27	20	21	NW.	Nubilo-pluviosum, mitescit, pluit,
28	16	16. 2	NO.	Pluviosum fere per diem, nubilum,
29	18.1	17	O.	Nubilo-frigido-humidum,
30	17.2	17	O.	Nubilo-sereno-sudum,
31	20	19	ONO.	Nubilo-pluviosum.

Dies.	Barometrum. mane	vesperi	Venti.	Constitutio tempestatis. November. 1728.
1	19. 2	19	O.	Nubilo- frigido, pluviosum,
2	18	18	O.	Sereno- frigidum,
3	16	16. 1	SO.	Frigido- sereno- nubilum, p. m. mite,
4	15	15	SO.	Idem,
5	17	17. 1	SO.	Admodum frigido- serenum,
6	17	19	SO.	Idem - - obnubilatum,
7	20	19	SO.	Idem fere,
8	19. 1	19. 2	SO.	Nubilo- mite,
9	20	20. 1	SO.	Idem cum pluvia,
10	20	20. 1	W.	Frigido- humido- nubilum. serenum,
11	21	20. 1	SSO.	Idem,
12	21	20	SSO.	Sereno- nubilo- calidum, noctu pluviosum,
13	20. 1	21	WSW.	Idem,
14	20	20	SSO.	Procelloso- nubilum,
15	19	18	S.	Nubilo- sereno- calidum,
16	19. 2	19	SSO.	Sereno - frigidum,
17	19	18. 2	SSO.	- - humidum,
18	18. 1	17. 2	ONO.	Nubilo- humido- serenum calidum,
19	17. 2	17. 1	SO.	Nebuloso- nubilo- serenum,
20	17	16	W.	Nubilo- frigido- humidum, sole p. m. è nubibus passim
21	18. 1	18	W.	Nubilo- calidum, (erumpente,
22	18	17. 2	W.	Idem cum frigore nocturno,
23	16. 2	16. 3	W.	Sereno- nubilum, parumper frigidum,
24	15. 1	15. 2	W.	Frigido- humido- nubilum, p. m. nivosum,
25	20	20. 1	WNW.	Continuat,
26	21	20. 1	W.	Nubilo - sereno - frigidum,
27	21	20	W.	Mane frigus intensum, hyemis ad instar, nubilo- serenum,
28	20. 1	21	SO.	Idem, p. m. frigore imminuto,
29	20	20	SO.	Nubilo- frigido- serenum,
30	19	18	SO.	- - - à meridie ad vesperam usque nivosum.

Die 2. hujus, frigoris initium fuit; dies 5. frigidissimus.
Die 25. prima nix cecidit.

Dies.	Barometrum. mane	vesperi	Venti.	Conſtitutio tempeſtatis. *December.* 1728.
1	16	13. 2	SO.	Admodum frigido, nubilo- ventoſum,
2	12. 1	13. 2	SO.	Nubilo- ventoſo- nivoſum,
3	13. 3	14. 3	SO.	Idem,
4	15	15	SO.	Idem cum frigore,
5	15	13. 1	SO.	Frigido- nubilum,
6	12	9. 3	SO.	- - pluvioſum,
7	10	10	SO.	Idem - - p. m. miteſcit,
8	10. 1	10. 2	SO.	Frigido- nubilo- ſerenum,
9	12	14. 2	N.	Nebuloſo- frigido- humidum,
10	16. 2	17	NW.	Nubilo - frigido - humidum,
11	19. 3	24. 3	NW.	- - ſerenum,
12	25. 1	26	O.	Serenum, frigore aucto,
13	26. 2	24	O.	Continuat,
14	23. 1	22	SO.	Idem,
15	21	20. 1	SO.	Idem - - p. m. mitius,
16	20. 1	20	SO.	Sereno- frigidum,
17	20	20. 2	SO.	Sereno- frigidius, ſudum,
18	20. 2	19. 3		
	18	16. 1	SO.	Sereno- frigidum,
19	14. 2	13	SO.	- - ſub veſperam obnubilatum,
20	14. 1	14. 1	SO.	Nubilo- ſudum, mite,
21	13. 1	14. 1	SO.	Nubilo- nivoſum, ad nivis liquefactionem diſpoſitum,
22	15. 2	16. 2	SO.	- - frigido- humidum, ad nivem diſpoſitum,
23	17	16	SO.	Frigido- nivoſo - nubilum,
24	19. 1	19. 2.	O.	Nubilo- ventoſum, cum frigore intenſo,
25	20. 2	18. 2	O.	Continuat, ſub veſperam parum ningit,
26	18. 1	18. 2	O.	Idem, fere,
27	17. 1	14. 1	O.	Nubilo- ſerenum,
28	13. 1	14. 2	NO.	Frigido- nivoſum,
29	15	13. 3	SO.	Continuat, cum aliquali ſerenitate,
30	12. 2	13	SO.	Frigido- ſereno- nubilum,
31	12. 2	13	SO.	Nubilo- ſereno- mite.

Die 2. hujus horâ nonâ Viſtula glacie obducta fuit, ut die ſequenti homines transire, quartâ denique omnia transportare potuerint.

Cap. III.

CAP. III.
De Aquis Warſavienſibus.

MUlta quidem jam in præcedenti capite, occaſione vaporum aërem alterantium, de Aquis & locis aquoſis Warſaviam irrigantibus, fuere propoſita: cum autem & ſingulariter quædam de Aquarum, quoad contenta & ſalubritatem vel inſalubritatem conditione operæ pretium fuerit, repetere, non poſſumus quin, antequam ad ſpecialia deſcendamus, de Aquis in genere aliquid moneamus, poſtquam aërem ita etiam in antecedentibus, fuſius explicavimus; præſertim cum non pauci ſint Philoſophorum, qui aërem idem eſſe cum Aqua elementum autument, cujus ſententiæ aſſeclam noviſſime etiam legimus eſſe *Santvoortium in Act. Erud.* 1704. *menſ. Novembr.* Licet autem illam hypotheſin noſtram haud faciamus, quæ principia horum elementorum penitus confundit, optimum tamen phyſiologicum axioma meritò eſſe reputamus: *Ubi bonæ ſunt aquæ, ubi bonus, ibi malæ, malus itidem eſt aër.*

Quicunque ergo Aquam in genere accuratius examinarunt, fatentur, quod ſub Aquæ nomine intelligendæ ſint particulæ lubricæ, exiguæ, disjunctæ, poros facile penetrantes atque inde corporibus adhærentes, ſibi ita invicem incumbentes, ut certum ſpatium inter illas relinquatur, diſſipabiles itidem, exceptis paucis ignem ſuſtinentibus terreſtribus. Unde ſummatim conſiderata Aqua erit fluidum compoſitum grave in comparatione ad Mercurium, uti 1. ad 14. in ſpatiis intermediis multum comprehendens aëris, qui certa proportione cum hac miſcetur, a calore & igne extenditur, per frigus autem cogitur & condenſatur, ut minus ſpatium occupet, & quando ſummum gradum caloris expertum fuerit, ebullit, diſſolvitur atque in aërem reſolvitur. Eſt igitur omnis aqua heterogenea, non unius ejusdemque naturæ,

turæ, ſed diverſa agnoſcens contenta, differentemque mixtionem. Originem autem aquarum quod ſpectat, conſtat omnem hujus globi terraquei aquam oriri ex certis ſcaturiginibus, ex his accipiunt rivi & fluvii, qui accreſcunt inter currendum, fluvii tandem ipſi deducunt omnem aquarum copiam ad mare vel Oceanum. Conſideranti autem probè, quam ſtupenda aquæ quantitas quotidie in fluviis decurrat, non parum inde difficultatis videtur oriri, quomodo adeo ingens aquarum theſaurus ex ſcaturiginibus poſſit colligi, ut his ſufficiat. Et, cum animadvertamus Oceanum, non obſtante inſigni affluxu, indeque aucta aquarum copia, nihilominus non ſupra modum augeri, plures ab antiquiſſimis jam temporibus exiſtimarunt, Oceanum per ſubterraneos tractus ipſis ſcaturiginibus aquam reddere. Aſt, cum inter alia obſtet iſta maris ſalſugo, quæ per tranſitum canalium & tractuum ſubterraneorum nullo modo penitus dulcificari poteſt: poſito enim ſal lateribus canalium adhærere, a tot mille tamen retrò annis, easdem vias marina aqua per terræ anfractus repetens, tantum ſalſuginis ſine dubio præcipitaret, ut ipſi canales toti quanti ſalini fierent, eoque ipſo tranſeunti aquæ plus ſalſedinis communicarent, quam adimerent: ſi quis etiam contra hanc objectionem, ad ſubterraneas provocaret, uti Carteſius fecit, cavernas, ut in his ſalinæ maris impuritates ſubſiderent, & per ignem ſubterraneum atomi aquarum puriſſimæ per ſpeciem vaporis ad ſuperiora loca elevarentur; novum tamen inde etiam emergeret inconveniens, ſcilicet quod tota tractu temporis ſalſugo, quia per fluvios dulcis ſemper adveheretur, in mari tandem deficeret, atque in dictis ſubterraneis cavernis ſolis reſtaret: ſequitur ergò ſolos eſſe fontes hinc inde per totum terræ firmæ tractum ſcaturientes, qui omnem dulcem aquarum copiam nobis ſuppeditant.

Statuendum autem, pro ſtabilienda hac ſententia, ante omnia, omnes fontes in ſuperficie globi terraquei reperibiles

ex

ex rore, pluvia niveque constantem obtinere accessum atque augmentum. Qua de re nemo poterit dubitare, qui considerat, quam late pateat Oceani tractus, dimidiam fere globi nostri partem efficiens, & quam incredibilem aquarum copiam effluvia ipsius per vapores quotidie suppeditent; præcipuè cum maxima ejus pars sub Zona torrida inveniatur, quæ omnis in nubes fatiscit, & per ventos hinc inde dispergitur, tandemque sub roris, pluviæ, nivis specie, terræ iterum communicatur, quæ hanc absorbet, ad receptacula certa deducit, & dicto modo per fontes iterum reddit. Quod autem fontes ita a solo rore & pluvia, originem ducant, eo facilius comprehendi potest, si simul observemus, dari in locis subterraneis cavernas & receptacula, quæ concurrentes ex humectatione per rorem nivem & pluvias, aquas conservant, ut diu suppeditare possint sufficientem ad scaturigines aquæ copiam, illo tempore præcipuè, cum deficiente pluvioso cœlo, terræ superficies arescit atque exsiccatur fere penitus. Neque huic theoriæ obstare potest, curiosissimi *de la Hire* (*) experimentum, quo pluviam communiter non ultra sedecim pollices penetrare terram demonstrare satagit, cum tamen diu ante ipsum *Bern. Varenius Geogr. Gen. p.* 224. pluviam ad decem pedum profunditatem eandem humectate concesserit. Hoc enim *de la Hire* experimentum contra fontium originem locum haberet, si una eademque terræ porosæ materia ubique inveniretur: ast cum in montosis præsertim locis argillacea ac tophacea eadem observetur multoties, benè per hiantes hujus materiæ venas ad profundissima loca derivari ex pluvia collecta aqua poterit: et memini me ipsum quondam in rupe illa præalta, quæ in Misnia nostra Regia (*Königstein*) appellatur, & famosum illud ergastulum, quo delinquentes nonnunquam Ministri status custodiuntur, sustinet, cum curiositatis ergo ad imum putei ibi stupen-

(*) *Memoir. de l' Acad. des Sc. An.* 1703. *p.* 68.

ſtupenda opera effoſſi, cujus profunditas ſexcentos fere ſupra mille pedes geometricos ſuperat, mediante machina pro purificando illo tunc extructa, deſcenderem, hinc inde in lateribus partim ex ſaxo ſolido, partim ex argillacea & tophacea materia conſtantibus, deſtillantem copioſe per rimas argillæ, inſtar rivulorum, obſervaſſe aquam, quæ omnis hinc ad fundum tendebat, ibique cum centrali ſcaturigine concurrens, inexhauſtam aquæ copiam ſuppeditabat. Quod, ſi poſitis his ac probatis de Aquæ in locis ſubterraneis, reſervatoriis, *Perraultii* (*) præterea & *Mariotte* (**) calculum de pluvia quotannis decidente ratum habeamus, longe majorem quantitatem pluviæ adeſſe, quam fontes pro ſuppeditandis & continuandis per integrum annum omnibus fluviis indigeant, facile patebit.

Mirandum igitur hactenus vidimus in Origine Aquarum circulum: differentia illarum facile pateſcet ex iisdem ab origine petitis, principiis: & hæc differentia per totum mundum univerſalis erit & ſibi ſimilis: omnis enim aqua vel pluvia eſt, vel fontana, vel putealis, vel fluviatilis, vel denique marina. Et ex his omnibus, dum quæritur quæ optima ſit & ſanitati pro potu & alimentis parandis maximè conducibilis, in genere quidem conſtat, illam aquam ab antiquiſſimis temporibus ſemper pro optima venditatam fuiſſe, quæ clara eſt ac levis, nihil limoſi in ſe continet, omnis adverſi ſaporis expers, facile incaleſcit & refrigeratur, leguminaque cito percoquit: ex quibus requiſitis pluvialem aquam reliquis omnibus anteponit *Vitruvius Archit. Lib. 8. c. 2.* ſequentibus: *itaque, quæ ex imbribus colligitur aqua ſalubriores habet virtutes: quæque elicitur ex omnibus fontibus, leviſſimis, ſubtilibusque tenuitatibus, deinde per aëris exercitationem percolata, tempeſtatibus liqueſcendo pervenit ad terram.* Atque ex hac ipſa pluvia aqua *Hip-*

(*) *Traite de l'Orig. des Font. p. 803.*

(**) *Tr. du Mouv. des Eaux, P. I. p. 30.*

Hippocrates 6. *Epidem.* S. 4. eligit illam, quæ media æſtate decidit, & ab æthere cum tonitru excreta eſt. Sequitur hanc in bonitate proximè Fontana, quæ ſaluberrima, ſi ex origine intra perpetuam arenam effluit, & quoad viſum, clara & pura eſt. Si autem fontana etiam in terræ viſceribus, uti aliquando fieri ſolet, a ſuccis variis mineralibus, metallicis aliisque inquinatur, vires acquirit exoticas, pro uſu quotidiano non admittendas. Ad hanc fontanam in genere ſic dictam, pertinet etiam illa, quæ ex fontibus ſalit apparentibus, a *Vitruvio* ita appellatis, quia aquam habent miſſam ex loco quodam altiore, per ſubterraneos ductus concurrente. Tales ſunt, qui Warſaviæ inveniuntur & ſub fontium vivorum nomine veniunt, quantum mihi quidem conſtat, fere omnes: nam & præcipuus ex his & puriſſimus, qui in Neoſtadienſis ſuburbii extremitate invenitur, & in convalloſo loco, prope viam ordinariam in Militiæ Præſidiariæ tabernas, ſecundum Viſtulæ tractum Orientem verſus ducentem, locatus eſt, (communiter Warſavienſibus *Szrodlo* appellatus) collectus mihi eſſe videtur partim ex continuo in vicinioribus collibus imbrium ſtillicidio, partim ex ſubterraneis venis, quæ originem ex piſcinis illis ac ſtagnis habent, quæ prope villam civitatis *Favori* dictam, inveniuntur; & dum totus ille a Favori ad ſuburbium tractus maxime arenoſus ſit, inter decurrendum aqua hæc, origine quidem adeo non pura, in tantum purificatur, ut lympham ex hoc loco protrudat limpidiſſimam, omnis alieni ſaporis expertem, cujus ulterior examinatio ſubjicietur inferius. Idem tenendum, ratione originis de fontibus aliis *Radzivviliano* e. g. *fonte ſub arce, & Caſimiriano in Cracovienſi ſuburbio*, Neoſtadienſi longe quoad ſalubritatem puritatemque poſtponendis. Et de *Caſimiriano* quidem ex dictis principiis pateſcit, aquam ipſius multis laborare vitiis: proprie enim origo ipſius ex nullo alio loco poteſt majori cum ratione deduci, quam ex uliginoſis illis locis atque lacunis, quæ hinc inde in campis poſt *S. Crucis territorium*, & in *Novvy-*

Q 2 *Svviat*,

Svviat, obſervantur. Et ego ſemper exiſtimavi, multum ad hujus Aquæ Caſimirianæ commendationem apud cives Warſavienſes facere, quod tantis ſumptibus & ſpectabili forma exitus ipſius vel egreſſus turri erecta ſit ornatus, de quo autem tenendum, quod hæc turricula olim pro caſtello inſerviverit ad aquas illas coërcendas atque ad certam altitudinem evehendas, ut machinis Hydraulicis in adjacente quondam pulcherrimo Caſimiriano horto extructis, pro ſuppeditanda & in altum projicienda aqua ſufficerent.

Aquam Fluvialem quod attinet, ſolet hæc a nonnullis quidem minus probari, quatenus fluxu ſuo continuo terreſtres ac limoſas partes multas imbibit & ſecum vehit, unde magis craſſa creditur: quæ tamen vitia, ſi quæ ſunt, per quietem in loco commodo facile deponit, & ſic depurata, bonitate pluribus interdum antecellit fontanis, heterogeneis venarum ſubterranearum particulis non raro inquinatis. Imò id quod ſecum ex littore ac in ripis abripiunt fluvii, interdum eorum bonitatem auget. Sic a doctiſſimo *J. A. Borello* aquæ Piſanæ in tota Hetruria propter ſingularem ſalubritatem celebres, virtutes accipere a pinorum arborum radicibus, a quibus aliquid abſtrahunt, exiſtimantur. Longiſſimo enim itinere per pineta aquæ iſtæ, Piſanum agrum antequam attingunt, decurrere obſervantur, referente ex diſcurſu dicti *Borelli L. A. Portio in Lib. de Militum in Caſtr. Sanit. tuenda p.* 191. Hic Warſaviæ fluvialem aquam ſuppeditantem habemus *Viſtulam*, quæ non minus ac Piſanæ Aquæ, vel hoc nomine celebrari meretur, quod hinc inde a prima ſua origine, quæ, uti dictum, ex Sarmatiæ montibus in Auſtrali parte ad confinia Sileſiæ ponenda, non uno in loco ſylvas perreptat, atque ex pinorum, tædarum, abietum &c. radicibus balſamicam quandam vim abſtrahere ac ſecum abripere obſervatur. Unde fit, ut ſi nulla tempeſtate vel aliorum rivorum inundationibus inquinetur ac turbetur, puriſſimam incolis aquam largiatur pro alimentis præparandis non minus ac potu,

valde

valde conducibilem. Sicuti autem omnibus fluviis, ita & huic ſæpiſſime accidit, ut præſertim vernali tempore, poſt liquatas in montibus nives, turbidam, limoſam, aſpectu gravem & inviſam vehat aquam, quæ tamen impuritas, per aliquot dierum in mundis amphoris ac vaſis repoſitionem, facile poteſt corrigi, ita, ut perpetuus ejus eſſe poſſit in emolumentum civium uſus. Hoc ſaltem notandum, loca eligenda eſſe certa, ex quibus pro quotidiano uſu hauriatur Viſtulæ aqua: nam omnis ille tractus, qui *ab arce usque ad ultimam Urbis extremitatem* Septentrionem verſus extenditur, propter ſordes quæ ipſi ex omnibus civitatis latrinis ac cloacis in fimeto publico (*Gnoyovvy-Gore*) infunduntur, merito eſt ſuſpectus. Qui ergo puriorem ex hoc fluvio optat aquam, non niſi *ſub PP. Bernhardinorum monaſterio*, vel altius adhuc, Meridiem verſus, illam accerſere debet. Hoc ſi obſervetur, illud affirmare de *Viſtulæ aqua* auſim, quod olim *Matthiolus* & *Cardanus de Tiberina*, quod ſcilicet, defecata integrum ſeculum incorrupta ſervari queat.

Putealis autem aqua potiſſimum ex fundo & tellure puteo circumpoſita, erit judicianda: præterea ex puteis varia hauriri obſervatur aqua, e. g. hyemis tempore optima, cum altitudo aquarum magna eſt in puteo ſatis pleno, æſtatis vero tempore peſſima, deficiente aquarum copia, & cum multo minor eſt earum in puteo minus pleno altitudo: tunc enim nimium per exantlationem agitata, graves, fœtidas ſolet ſuppeditare aquas. Illud enim in Aquis putealibus veriſſimum eſt, quod in plerisque aliis liquoribus, non dari ſcilicet particularum omnium exactam ſimilitudinem, dum aliæ graviores, aliæ leviores ſunt, & cum contigerit liquores notabilem in vaſe aliquo occupare altitudinem, facilius fit particularum iſtarum ſecretio, in unum convenientibus, quæ magis ſimiles inter ſe ſunt & homogeneæ: manifeſtiſſimo in oleo olivarum exemplo, cujus partes tenuiores & puriores ſumma occupant vaſis, inferiora petentibus quæ minus puræ

& quæ minus tenues ſunt; omnium autem partium olei infima impuriſſima eſt, cui etiam peſſima pars olei ſubſidens amurca ſubeſt. Similiter in aquis putealibus, partium puriorum ac tenuiorum aquæ ſeparatio longe fit facilior, in unum coëuntibus ſimilioribus, cum hæ notabilem occupant altitudinem, ſeu, cum ſuprema earum ſuperficies valde diſtat ab infima. Fundum putei quod attinet, vel caput, uti a *Vitruvio* appellatur, hujus quidem bonitas omnis dependet a terra, in qua excavatur. Et ſecundum prudentiorum architectorum ſententiam, quos inter etiam nominatus modo *Vitruvius*, ſeligendus pro his effodiendis ſemper ejusmodi eſſet locus, qui arenoſus potius vel etiam argillaceus, minime autem qui paludoſus eſt, lacuſtris, impurus, atque cœnoſus: aut, ſi occaſio ſituationis favet, cum proximo urbi fluvio librari deberent putei. Id quod tamen ubique, & præſertim hic Warſaviæ omnino fieri nequit; dum civitas ipſa, propter littoris Viſtulæ altitudinem, in longe elatiori horizonte ſit locata, ita ut putei non niſi maximis ſumptibus tam altè demitti, ut cum ipſo fluvio librari poſſent, queant. Eſt igitur maxima pars *Puteorum Warſavienſium* in ejusmodi locis effoſſa, quæ lympham ex colluvie paluſtrium & ſtagnantium aquarum accipiunt; hinc omnes fere duræ, guſtu ſalſæ, amaricantes, calciformem, nitroſum & aluminoſum cremorem ſecum vehentes, qui ſtatim manifeſtatur, ac parum ſaltem aqua eorum impura ad ignem ebulliverit, ubi impuritas illa protinus ad latera vaſis circumcirca ſe præcipitat, & cuticula inſtar cremoris Tartari, dum cryſtallos ejusdem artificio Chymico paramus, in ſuperficie ſuſpenditur: hinc etiam cum ſapone talis aqua non eſt miſcibilis, reſpectu aquæ pluviæ vel fluvialis, quia, cum ſatis onerata eſt ſalibus, impuriſque craſſamentis, ſuperadditum illud compoſitum e lixivio & pinguedine non poteſt ſuſtinere. Et nemini hoc, quod de impuritatibus his dictum, mirum videbitur, ſi conſideret, pleroſque hos Warſaviæ puteos ultra decem pedum profunditatem vix extendi; imo qui-

quibusdam in locis, uti in *Lésna* e. g. haud plus quam quinque pedes tellurem excavando, aquas ſtatim invenies ſubterraneas; ex qua ratione & cellæ in hoc ſuburbio ſunt rariſſimæ, aut ſi inveniuntur, dimidia parte ſupra terram eminent, ne ab aquis ſubterraneis vernali tempore exundantibus ſuffocentur. Eſt tamen *in Arce Regia* Puteus an dicam Ciſterna, ad quam aqua e longinquo, *Lésnenſi* nimirum *territorio*, per tubulos ligneos derivatur, qua ratione inter decurrendum, multum ex inquinamentis illis paludoſis deponit, dum in ipſis tubulis ſubſident, eoque nomine aqua illius magis pro uſu eſt commendabilis. Longè autem inferioris conditionis ſunt illi duo *Putei*, qui *in foro Civitatis* ex utraque curiæ parte ſunt locati, & ex quibus urnis ac ſitulis communiter aqua hauriri ſolet ab incolis; qui tamen non minus aliquem, ex certo ſuburbii Neoſtadienſis loco *circa Palatium Epiſcopi Plocenſis*, per tubulos acceſſum, præter aquas ex fundo, habere dicuntur. Peſſimi denique ſunt putei, qui per imperitiam vel oſcitantiam architectorum, in locis obſcuris, umbroſis, cum aëre libero non communicantibus, imo interdum juxta latrinas, cloacas, effodiuntur, quorum tecta lues puras aquas contemerat: & mihi hoc nomine ſuſpectæ videntur omnes, quæ in ædificiis eorundemque areis nimium anguſtis & ab aêre liberiori excluſis proſtant, etiam nonnullis in locis Warſaviæ.

Hactenus de generali aquarum differentia, quam ſi compendioſe contractam habere velimus, audiamus *Celſum*, qui *Lib. 2. cap. 18. p. 213. edit. Plantin. Ann. 1592.* ſequenti modo illas diſtinguit: *Aqua leviſſima Pluvialis eſt, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo, poſthæc ex nive & glacie, gravior ex lacu, graviſſima ex palude.* Ut autem aquarum ſpecies inter ſe diſtinguantur, & quænam ex illis purior, ſimplicior, leviorque ſit recte dijudicemus, varios ab autoribus propoſitos videmus modos, quos inter antiquiſſimus quidem fuit per ponderationem examinatio, quam Archimedis tempore jam locum inveniſſe, ex inſtrumento illo patere videtur, quod *Libra Archimedis* appel-

appellatur: de quo tamen probandi aquas modo, *Erasistratus* apud *Athenæum Lib. 2. cap. 2.* judicat, *falli illos, qui de Aquarum bonitate in levitate judicium rectum statera ferre putant, si quidem se ipsum expertum subdit in Amphiarati atque Eretriæ aquis; quarum altera pessima, altera optima, nullum in pondere discrimen exhibuit.* Quod porro a pelluciditate ac perspicuitate aquarum bonitatis sumi solet judicium, eadem fere incertitudine laborat. Nam & aëri pelluciditate interdum aquæ sunt similes, quas *Plinius* alias pro optimis habet, & tamen insalubres: tenuitatem scilicet ex motu continuo ac rotatione quasi, per quam feces suas partim attenuant, partim deponunt; pravam vero qualitatem ex intermixtis noxiis principiis deducentes: talis illa Warsaviæ *sub Arce Regia* ex acclivi loco saliens aqua, & *PP. Jesuitarum* in civitate, quæ crystallinam pelluciditatem præ se fert, gravior autem est gustu, linguam asperitate feriens, & vix igni exposita, statim turbida fit, & calcarias, alumniosas particulas præcipitat ad latera vasis continentis & fundum.

Optimus igitur explorandi aquas omnis generis spagyrica erit analysis, per quam unusquisque latex suas in partes resolvitur ex quibus constat & componitur. Unaquæque enim aqua, vel sua ab origine, vel a locis, per quæ transit, vel a continentibus contingentibusque corporibus semper aliquid extranei, terrei potissimum ac salini rapit, sibique admiscet: & hoc post evaporationem potissimum se manifestat in deposito per sedimentum corpore, quod nihil aliud est, quam mixtura terræ, tartari, ac diversorum salium, admixto quandoque etiam sulphure. Ad hunc igitur modum examen potissimarum Urbis Warsaviensis aquarum, quæ communi inserviunt usui, paucis & compendiose hic proponemus, non omittendo vulgarem illum per Hydrometrum, ratione levitatis & gravitatis, experiundi modum. Mediante enim hoc instrumento, crassior ac ponderosior aqua deprehenditur, dum innatans a densiori fluiditate contranitente magis

magis ſuſtinetur, ne tam alte deſcendat, & iterum contrario modo, ſubtilior ac levior, dum a minori contranitentia profundius ſubmergitur.

ANALYSIS

Ad ignem, & per agentia ac reagentia facta, una cum reſpectiva gravitate Aquarum Warſavienſium:

Antequam, quæ in unoquoque ex præcipuis latice animadverſa ſunt, oſtendam, monendum prius, unam eandemque aquam, non variis modo tempeſtatibus, ſed eadem etiam die atque hebdomade hauſtam, eodemque modo & ignis gradu exploratam, ſemper fere aliquantum diverſam quantitatem ac qualitatem, ſapore & colore, ſedimenti deponere, atque ipſum Hydrometrum nunc profundius nunc altius admittere poſſe. Quia enim reſidentia ipſi aquarum elemento non eſt adnata, ſed aliunde ex terræ ductibus & meatibus vel alveis, præterea etiam ab aëre, ventis atque igne admixta venit, illius moles etiam, natura & conditio diverſa, pro temporum, locorum modique experiundi diſcrimine poteſt occurrere, quæ deſcriptam diverſitatem efficiat. Ne quis igitur miretur, qui eundem noſtrum experiundi modum inire aliquando vellet, ſi differentiam a præſentibus his obſervationibus alienam inveniret. Satis nobis erit ſpecimen exhibere breve & compendioſum, quod aliis incitamento ad accuratiorem & multiplicem explorationem eſſe poterit.

1. *Analyſis & Examen Aquæ Fontis Neoſtadienſis communiter ab incolis SZRODLO appellati:*

Hauſta & decantata Quarta una menſuræ Polonicæ, quæ libras Medicinales continet perfecte duas, hujus aquæ, Septembri menſe, (uti & ratione temporis reliquorum) cucurbitæ incluſimus, & lento igne abſtractionem impoſito alembico, inſtituimus, hæc poſt conſumptum atque abſtractum omne fluidum, non plus quam *granum unicum*, cujus

ſexaginta drachmam conficiunt, reliquit depoſiti corporis terreſtris ſalini, coloris fuſci.

Solutio Saturni, quam nobis acetum lithargyrii ſuppeditavit, cum hac aqua ſeorſim infuſa, turbidam illam fecit, atque inſtar ſeri lactis, albeſcentem:

Cum Oleo Tartari per deliquium tractata parum ſaltem præcipitabat ad fundum materiæ ſalinæ:

Cum Gallarum Turcicarum pulvere infuſa, colorem diaphanum in rubellum transmutabat opacum:

Hydrometrum Norimbergenſe ad mentem Sturmii paratum, hæc aqua in cyatho ad quarti gradus diſtinctionem admittebat.

2. *Aqua ex fonte Caſimiriano:*

Quartam pariter unam hujus aquæ ad abſtrahendum, igni arenæexpoſuimus, quæ poſt finitam abſtractionem lentam, in fundo vaſis reliquit *grana octo* ſalini cujusdam concreti coloris obſcure flaveſcentis vel ochrei, quod aëri liberiori expoſitum, ſtatim diffluebat per deliquium:

Aquæ huic in alio vaſculo, dum ſolutio Saturni affundebatur, parum ſaltem turbabat illam, tantillum ad fundum ſimul præcipitando:

Vix notabilem etiam præcipitationem efficiebat olei Tartari per deliquium inſtillatio:

Infuſa iterum ſeorſim cum Gallis Turcicis, ruffeſcebat:

Hydrometrum itidem ut Neoſtadienſis aqua, hæc admittebat ad graduum quatuor altitudinem.

3. *Aqua Fontis ſeu Rivuli, ex acclivi collis ſub arce ſalientis:*

Similiter Quarta una aquæ hujus, eidem arenæ balneo admota, poſt abſtractionem ad ſiccitatem omnimodam, reliquit in fundo ſedimentum ex flavo virideſcens, *granorum viginti* pondere, quod guſtu tentatum violacei quid ſapit, linguam autem ſale lixivioſo acri ſimul ferit:

Oleum Tartari per deliquium albicantem præcipitabat materiam:

Solu-

Solutio Saturni eundem præcipitationis producebat effe-ctum, ast majori in quantitate:

Spiritus Vitrioli affusus aquæ nullam producebat alterationem:

Infusa cum Gallis Turcicis rubellum contrahebat colorem:

Hydrometrum immersum duos gradus saltem cum dimidio attingebat per submersionem.

4. *Aqua Fluvialis ex Vistula:*

Par quantitas hujus etiam aquæ igni admota & lento calore abstracta fuit, quo facto subsedit tandem terra fusci coloris, *unici grani* pondere, saporem exhibens acrem salinum fere, dum linguæ admovebatur:

Cum oleo Tartari mixta hæc nullam coloris & pelluciditatis naturalis alterationem patiebatur:

Per Saturni solutionem turbabatur & opaca fiebat, nullam tamen, licet per plures dies cum hac solutione relicta, præcipitationem passa fuit:

Cum Gallis Turcicis infusa, nihil fere penitus in colore mutabatur:

Hydrometrum admittebat ad gradus quatuor & plus.

Quorum tentaminum nexus aperte nos docet summam *Aquæ Vistulæ* salubritatem; nam & præterea seorsim in aperto vase evaporata, nullum inter exhalandum reddebat ingratum odorem. Denique adeo est exigua sedimenti moles, ad aquæ molem comparata, & subtili sale alcalino acuata, ut certo affirmare possimus, aquam istam multis vacuitatibus donari, atque idcirco alimentorum dissolutioni maximè esse opportunam. Quantam præterea cum *Aqua fontis Neostadiensis* habeat analogiam, ex repetitione examinis illius patet; quapropter illa non minus, quam fluvialis hæc, inter Warsavienses omnes primatum obtinent.

5. *Aqua Putei vel Hydrophylacii in Arce Regia:*

Hæc lympha æquali mole cum præcedentibus abstractioni commissa, sedimentum reliquit coloris obscure virentis, *grana duodecim* ponderans, saporis salini amaricantis:

Tres Unciæ hujus aquæ cum drachma una olei Tartari mixtæ, turbidæ fiebant, & post horæ spatium, albicantem viscosam materiam præcipitabant ad fundum:

Per acetum lithargyrii intra horæ spatium, simile cum præcedenti præcipitabatur album & viscosum magma:

Cum Gallis Turcicicis infusum per triduum, colorem induebat aurantium:

Hydrometrum admittebat ad gradus tres.

6. *Aqua ex Puteo in foro Civitatis:*

Parilis aquæ hujus quantitas in arenæ balneo per abstractionem tractata, dedit *grana decem* sedimenti sicci, saporis nitrosi, coloris ochrei vel obscure flavescentis:

Oleum Tartari & Saturni solutio parum turbabant hanc aquam, & vix tantillum crassioris materiæ ad fundum præcipitabant:

Cum Gallis infusa valde obscure-rubente colore tingebatur:

Hydrometrum admissum, tres gradus in submersione monstrabat.

7. *Aqua ex Puteo Collegii PP. S. J. Lithuan. Provinciæ:*

Aquæ hujus limpidissimæ & maximè pellucidæ Quarta una, post abstractionem reliquit in fundo *grana duo supra viginti* concreti salini, gustu valde acris, morsicantis & nauseosi, plane ac si æruginosi vel Venerei quid inesset:

Oleum Tartari, post turbationem & lactescentiam, viscosum quid præcipitabat ad fundum, ast in parciori quantitate:

Copiosiorem præcipitationem efficiebat solutio Saturni:

Gallæ Turcicæ infusæ, ex rubro fuscam & nigricantem reddebat aquam:

Hy-

Hydrometrum per immerſionem ad tertium ſaltem admittebat gradum.

Hæc omnia experimenta feci menſe Septembri Anni 1728. repetitis quibusdam & altera adhuc vice, labores juvante *Dno. Georgio Lehmanno*, Chymico exercitatiſſimo ac diligenti naturæ inveſtigatore, qui tunc officinæ Pharmacevticæ Friſianæ Warſaviæ providebat.

CAP. IV.

De Incolis Warſaviæ, eorundemque Victu, Temperamento & Moribus.

ABſoluta de aquis Warſavienſibus relatione, ordo & methodus, ſecundum *Hippocratem* requireret, de loco, ſolo vel terra quæ Warſaviam ſuſtentat & alit, neceſſaria ſcitu in medium afferre. Tractavimus autem de his incidenter *Capite ſecundo*, ubi de effluviis terreſtribus aërem Warſavienſem alterantibus ex profeſſo egimus, ibique omnes conditiones perquiſivimus, quæ in ſolo Warſavienſi occurrunt notabiliores: ut de generali Urbis deſcriptione nihil dicam, quæ ſtatim in fronte hujus tractationis noſtræ apparet. Quamobrem nihil ex his hic loci attinet repetere, niſi quod terra Warſavienſis, ita quidem ſit comparata, ut incolis ſuis omnem fere ex fertilitate ac bonitate, ſi contenti illis eſſe velint, ſuppeditare poſſit copiam. Situm enim ſortita eſt Warſavia in ſumma lætiſſimæ fœcunditatis planitie, in qua præſertim ab Occidentali plaga, videbis agros omnium frumentorum feraciſſimos; prata paſſo quaſi æquore ſe explicantia, armentorum gregibus paſcua præbentia: ex Septentrionali plaga, præter agrorum continuationem, ſaltum etiam ad *Bielanum Camaldulenſium Eremum* ducentem,

densum satis atque amœnum, ex arboribus, arbustis ac virgultis compositum, cum molendinis, stagnis ac piscinis, circa *Mariæmontem* in transitu occurrentibus: ex Orientali plaga *Vistulam*, quæ non minus propter mercaturam & commeatum ex Prussia, quam propter piscium capturam & proventum, est utilissima: ulterius trans Vistulam, *Pragæ* oppido proximè adjacentem sylvam, toti lignis necessariis prospicientem Warsaviæ: in tractu *Solecensi* Meridionali, *Czernikoviam* & *Villanovam* versus, præter hortos olera & legumina abundanter producentes, varium est solum, hic herbidos cespites & prata, ibi arenosa glabreta, alibi udas ex Vistula exundante uligines laticem perpetuo eliquantes, suppeditans, maximam partem autem ubique agriculturæ, bucolicæ & pastoritiæ accomodatam invenies terram, ita ut per totam Warsaviæ circumferentiam, ad sustentationem incolarum nulla penitus deficiat occasio. Unde & ferinæ & domesticæ carnes hic saluberrimæ, bovinæ præsertim; de vitulinis saltem notandum, quod justo citius vituli, & antequam carnes ipsorum debitam acquirunt consistentiam & bonitatem, ab uberibus vaccarum abripiantur a ruricolis: & carnes vervecinæ licet non desint, cum Germanicis tamen & Saxonicis in specie, quoad teneritudinem ac bonitatem non comparandæ, ex pascuorum conditione fortassis, quæ hic loci, propter uliginosum solum, minus ovium gregi sunt convenientia, siquidem hæ ex collibus, acclivibus & siccioribus locis enatas quærunt plantas: de hædis, suibus ac porcis ut nihil dicam, qui ultimi hic, propter scrobes & lacunas cœnosas, proprium quasi & connatum inveniunt elementum: gallinacei & volatilium domesticorum generis copia abundantissima etiam, quorum tamen carnes itidem, propter aquarum impuritates non adeo teneræ.

Viso autem cœlo, aqua & solo Warsaviensi cupies etiam scire, qualem progeniem hæc alat regio, consequenter de ipsis Warsaviæ incolis aliquam expectabis notitiam. Sicuti

cuti autem in omnibus fere Regum & Principum sedibus & Metropolitanis Urbibus fieri solet, ut non ex uno nationum genere componantur civitates, ita & Warsaviæ non Polonos saltem, sed ex omnibus fere, Europæ præsertim, & Asiæ etiam partibus confluentes homines, civium atque incolarum numerum constituere, sciendum est. Abundat enim hæc Urbs non indigenarum modo, sed exterorum etiam hospitum accessu, Germanorum puta, Italorum, Gallorum, Hungarorum, Russorum, Armeniorum, Græcorum &c. suis quorumlibet hic viventium moribus, vestitu, lingua, ast non æque, quod publicam attinet professionem, religione: legibus enim & privilegiis antiquissimis cautum est, ne per totam Massoviam, alius quam Catholicæ Romanensis Religionis cultus publicus admittatur. De cætero non errarem, si numerum incolarum in tres partes dividendo, tertiam partem ex advenis, Germanis præcipuè, confici, assererem, qui non ex mercatura saltem, sed vario vitæ & quæstus genere, vivunt Warsaviæ. Difficultas inde nascitur non parva *de Incolarum Victu temperamento & moribus* summatim certi aliquid definire: quia tamen de potiori fit denominatio, illa omnia, quæ de incolis ad hanc mentem proferemus, de ipsis Polonis intelligenda erunt præcipuè. Et cum ex sanguine varie affecto, diversaque partium constitutione, exoriantur diversæ corporum habitudines, quas Temperamenta antiqui Medici dixerunt, sanguinis autem & partium corporis reliquarum nutrimentum continuum & pabulum ex aëre atque alimentis trahatur, ratio apparet, cur de his primo loco, & antequam ad ipsam temperamenti explorationem descendamus, agendum sit.

Circa alimentorum historiam autem, in genere prius considerare operæ erit pretium, hominem in universa terra nil nisi gramina invenire æque ac cætera animalia primo occursu, & quia hæc ad ejus nutritionem planè per se sunt incongrua, debent, excepto frumento & leguminibus atque

oleri-

oleribus, prius per animalia bruta consumi, ita, ut boves, oves & reliqua fera & domestica, quibus vescimur, animalia ut tot laboratoria sint consideranda, in quibus gramina & herbæ præparantur in alimentum homini conveniens & salutare: nisi enim herbæ pratorum converterentur in corporibus bestiarum in lac & carnes, nullam inde utilitatem posset habere omne hominum genus. Et ita quidem omnes Antæi sumus, terræ filii, qui novas vires & robur e terra omnium matre, continuo accipimus. *Epicuri* autem sententia, ea quibus homo pro sustentatione opus habet, in tres classes dividuntur commodè, quarum prima illa, quæ ad vitam absolute necessaria, secunda, quæ utilia quidem, ast non absolutè necessaria, tertia denique quæ neque necessaria neque utilia sunt, continet; primi generis quæ sunt, facile ac nullo pene negotio ubique habentur, ad quæ aqua pertinet, frumentum & omnia legumina, quibus unusquisque, si assuesceret, vitam sustentare posset, levi negotio ac labore: ad illa autem quæ utilia quidem sed non necessaria, carnium referendus est usus, quæ non sine crudelitatis aliqua specie, interdum etiam non sine magno periculo & labore ad alimenta & victum præparantur: tertiæ denique classis res, ejusmodi sunt, quæ non nisi magnis sumptibus, labore & periculis comparantur, & a mortalibus potissimum præter omnem necessitatem atque utilitatem, in luxum voluptatem & interitus proprii accelerationem expetuntur, & ad vanitatem pompam & fastum potius faciunt, quam ad ullum verum & reale bonum; quo pertinere mihi videntur omnia transmarina, aromata, liquores & aliæ deliciæ, ex Indiis & ultima Thule allata. Hinc in pauperis angusta casa omnia utplurimum, vitæ necessaria ad nutum prompta adesse, e contrario divites sæpe, vel maxime necessariis destitui miraberis: et ipse non semel me vidisse memini, ex Magnatibus quendam, cubiculario aquam frigidam pro abluendo siccissimo ore adferre jussisse, hunc autem alicui ex pedissequis, & istum iterum alteri cuidam, qui vel non

erat,

erat, vel etiam noluit esse domi; ut proinde aqua non nisi post horam forte fuerit allata. Juxta propositam autem Epicuri hypothesin affirmare ausim, *Warsaviæ* incolas, illis omnibus abundare terræ frugibus aliisque ad victum atque amictum requisitis bonis, quæ non solum ad necessitatem, utilitatem ac commodum, sed etiam, excepto solo vino, ad voluptatem & luxum possunt facere. Quamvis, dum de victu tractaturi sumus, illa saltem ex duabus prioribus tangemus classibus, quæ necessitati atque utilitati potissimum inservire possunt. De civium enim, qui propter frugalitatem partim, partim etiam propter angustiorem domi rem, illis utuntur alimentis, quæ locus ipse natalis & proxima ejus vicinitas suppeditat, & quorum usus & consuetudo ab antiquissimo tempore apud ipsos invaluit, loqui, nostrum hic est institutum, operarios, opifices atque inferioris sortis mercatores sub his comprehendendo: illi enim, qui melioris conditionis & fortunæ sunt inter cives, magnatum ex parte vitam imitantur, & lautioribus commessationibus indulgent.

Est autem communis inter illos in victu usus carnium, bubulæ, vervecinæ, vitulinæ atque suillæ cum volatilibus domesticis, gallinis puta, caponibus, gallis Indicis, anseribus atque anatibus, quæ omnia ubique in pagis circumjacentibus aluntur continuo, & ad civitatem apportantur, ibique levi veniunt pretio. Olerum etiam, sicuti pro soli conditione magnus proventus, ita & non parva consumptio, uti & leguminum, frumenti præsertim Saracenici, fabarum, pisorum &c. Panis, præter secalinum communissimum, triticeus etiam in quotidiano usu: cerevisia autem, tum hordeacea, tum triticea pro potu inservit ordinario, ut de medone vel mulso, itemque spiritu ex frumento per fermentationem & abstractionem parato, nihil dicam, utpote quorum usus, uti notissimum, inter plebejos etiam, excessivus fere est. Et ut de potu paulo clarius constet, sciendum, *Cerevisiam*, *Warsaviæ* & in adjacentibus ac vicinis nobilium terris ac pa-

gis, & ex hordeo & ex tritico, interdum & addita avena parari: maceratur primo, ut & in aliis locis, frumentum in aqua donec intumeſcat, dein aqua exemtum in acervum componitur, & leviter quaſi putrefieri aut corrumpi permittitur, donec, enatis ligulis, germinare incipiat, mox reſiccatur & torretur, & ſic maltum inde fit, quod deinde mola fractum in polentam redigitur, vel farinam craſſiorem; hæc primum cum aqua ſeorſim certo temporis ſpatio in pultem quaſi coquitur, vel etiam aqua fervente, quaſi ebullitione quadam irrigatur, idque ſemel atque iterum, donec omnis pinguedo, aquæ inhæreat: colaturæ flores lupuli injiciuntur, cum quibus deinceps perfectè coquitur. Colatur tum denuo, & colato ad teporem refrigerato flores ſeu feces cereviſiæ, aut aliquid fermenti admiſcetur, ut ſpumeſcat & fermentetur. Hæc quidem cereviſiæ braxandæ communis atque ordinaria eſt ratio; bonitas autem dependet potiſſimum a malti præparatione, ejusque doſi majori vel minori, reſpectu aquæ, itemque lupuli. Solet autem apud nonnullos & quibusdam in locis, ut inebrientur eo citius ex potu bibuli, adulterari zythus, additis quibusdam herbis vaporoſis & fragrantibus, e.g. Roſmarino ſylveſtri vel Ledo Bohemico, quod *Poſt* a vulgo, itemque Serpillo ſylveſtri, quod *Szmer* Polonis appellatur, quorundam flagitioſa temeritas & Hyoſcyamum in uſum trahere pro hoc ſcopo dicitur. Erant autem *nobilioris notæ Cereviſiæ* Warſavienſibus meo quidem tempore *Lovvicenſis*, *Odvockienſis*, *Opipienſis*, *Glovvacenſis*: communiſſimas *Leſna* & *Solecum*, Urbis appendices, ſuppeditabant ordinario, ut de Regia Braxatoria nihil dicam. Alterum notabile & inter plebejos commune potus genus apud Warſavienſes eſt *Mulſum*, communiter ſub medonis nomine veniens ex melle paratus liquor; cujus parandi modus non abludit ab eo, quo Aquam Mulſam parare docuit *Meſue Tract. de Compoſit, Medic. comp. diſt. 5. dum mellis partem unam, aquæ fontanæ claræ libras octo, fermenti in his diſſoluti, in centum libras, uncias tres, recipit, & muſti modo effer-*

veſcen-

vescenda in ligneum cadum conjicit, ita, ut relinquatur in vase vacuum, quasi mensura trium digitorum. Ubi deferbuerint, obturato vase asservantur vini modo, ad potandum; non tamen bene bibitur, nisi tertio a præparatione mense exacto. Poloni autem præterea flores lupuli medoni incoquunt, & loco fermenti feces cerevisiæ liquori fermentando adjiciunt, sicuti jam suo tempore annotavit *Ol. Magnus in Hist. Sept. L.* 13. *Cap.* 22. *sqq.* communiter plebeji etiam zingiber, pro concilianda gratiori acredine, addunt.

Et cum ambiguum potum inter & cibum alimenti genus adhuc aliud Warsavienſibus usitatum occurrat, quod *Barscz* appellare solent, mentionem hujus etiam inter potus consuetos vel ultimo loco facere congruum erit. Meminit hujus quidem jam suo tempote *Dan. Sennertus* occasione Plicæ morbi, in *Prax. Lib. V. P.* 3. *Sect.* 2. *cap.* 9. & dicit, ex foliis Brancæ Ursinæ siccatæ Barscz parari, dum coquantur hæc in aqua, & decocto huic fermenti aliquid acidi panis siliginei addatur: ast sciendum, pro hoc liquore, sicuti nunc a Polonis in usum ducitur, nulla Brancæ Ursinæ folia expeti, sed solos ex tritico furfures, vel farinam affusa aqua, in loco tepido per aliquot dies ad effervescentiam & fermentationem seponi, donec acidiusculum saporem contrahant & a se spirent. Et hunc liquorem acidulum postea cum jure carnium betaque rubra condita acidula miscent & coquunt, atque intrito triticeo pane, additoque lardo mensæ, pro primo utplurimum ferculo apponunt: cujus usus ventriculo illorum cumprimis gratus & maxime expetitus, qui hesterna crapula ex nimio dulcis medonis & cremati spirituosi usu, laborant, & temporariam sic contraxerunt sibi anorexiam. De ipso vocabulo *Barscz* etiam monendum, ordinario quidem minus hoc nomine Brancam Ursinam apud plebejos & rhizotomos venire, sed Trifolium odoratum, vel Melilotum cæruleum sub nomine *Barscz* a Polonis communiter significari.

Solet autem, ut de reliquo vescendi modo specialia nonnulla commemorem, caro bubula elixa, mensis Warsaviensium, sine omni, excepto sale, alio condimento, apponi, & quidem in frustis integris, totam patinam implentibus, vel assata, cui communiter apponere in singulari vasculo solent embamma ex jure pingui cum aceto & cepis paratum, quod illis *Sapor* proprio & valde convenienti nomine appellatur, non ingrati condimenti genus, & quod stomachum languentem excitat egregie: eodem modo & vitulinam, & vervecinam itemque suillam carnem, uti & gallinas, pullos atque capones in usum ducere solent assata, rarissime elixa. Ex porcina autem carne farcimina etiam, præsertim lucanicas & botulos frequentissime in usum ducunt, uti & pernas, & quidem ultimas has Paschali cum primis tempore ac festo, vel in Judæorum opprobrium, vel ut duriorum ac solidiorum ejusmodi alimentorum usu, diuturnum compensent Quadragesimale jejunium. Porcellos, tum recentes, tum sale conditos, elixos atque assatos, promiscuè omni tempore jejuniis vacuo, comedunt. Ex oleribus maximus fere usus est brassicæ, potissimum autem muria conditæ per totum annum, ita, ut nulla fere sit in civitate familia, quæ post S. Michaëlis festum, brassicam cum sale non condiret in doliis conservandam, ut per integrum, annum copia ejus sufficiat: pastinaca autem uti & brassica viridis & rubra, pro obsonio itidem inservit, & mensam, gustatis jam carnibus, claudit, pro quo scopo & hæc olera in cellariis continuo servare solent recentia. Frequenter etiam, loco pastinacæ, alio quodam obsonii genere, *Buraki* & *Podsvvine* appellato, utuntur: utrumque unius ejusdemque oleris species est, betæ rubræ nimirum, & illud quidem ejusdem radices in toleolas scissæ & salæ conditæ, hoc autem summitates vel folia tenuiora, quæ per totam hyemem etiam in locis subterraneis conservantur facile. Fructus ex arboribus, pro quotidiano in mensis usu apud incolas rariores sunt, propter parciorem pomariorum hic loci cultu-

ram, solent tamen pruna exsiccata, (quæ in sufficienti copia ex Jaroslavia Russiæ per naves advehuntur,) & aqua iterum per elixationem emollita, plebejorum mensas frequentius instruere, & cum ansere vel porcello apponi; jejunii autem diebus, consueverunt ex farina globulos pinsere, & cum prunis his mixtos parare, quod ferculum communiter suo idiomate *Dominikanke* appellant, propter similitudinem, quam Dominicanorum Monachorum vestitus ex atro & albo mixtus, cum hoc obsonio habet. Piscium recentium sicuti Warsaviæ non adeo copiosus proventus, propter vistulæ sterilitatem, ita usus etiam inter plebejos rarior: afferuntur tamen ex stagnis & piscinis nobilium in vicinia, lucii, carpiones, albulæ, caracini &c. quibus vescuntur cives etiam: de cætero asellis, halecibus, sturionibus, siluris sale conditis atque Gedano advectis, Quadragesimali præsertim tempore, contenti: carpiones enim ex vistula uti & salmones ac sturiones, pisces itidem, qui Cracovia advehuntur recentes, Magnatum culinæ absumunt. De condimentis ciborum adhuc monendum, quod allii, ceparum, porri, armoraciæ non solum magnus apud incolas sit usus, sed aromatum etiam, præsertim dum pisces parare solent, quibus largissimam piperis, zingiberis, maceris, croci, præter salem, injiciunt copiam: & quando lucium hoc modo paratum comedunt, tale ferculum ipsis vernacula appellatione *Zolto goraco*, quasi calidum acre crocatum dicas, venit. Lac & butyrum non nisi diebus a jejunio vacuis, comeditur; Veneris enim ac Sabbathi diebus, uti & per totum Quadragesimale tempus, non nisi oleo ex semine lini expresso, condire fercula licet, magno nobilium & Magnatum per totam Poloniam, qui hujus seminis culturam faciunt, emolumento, strenuæ autem pœnitentiæ pro plebejis exemplo, quia continuus hujus olei usus stomachum valdopere lædit, unde squalent miseri, Quadragesimali tempore, atque umbratiles aspectu fiunt, fœtentemque halitum spirant, in specie autem fœminæ hinc graviter læduntur, dum

multæ ex nimio hujus uſu fluorem album ſimplicem vel ſtomachalem, contrahunt.

Ex aëris, aquæ atque alimentorum jam compendioſe recenſitorum uſu, qualem Warſavienſes ſanguinem, habitum & temperamentum acquirant, tempeſtivum jam erit disquirere. Cum autem *de Temperamento* incolarum in genere hic aliquid ſtatuendum ſit, fateor, difficillimum mihi ſemper viſum fuiſſe, in particulari atque individuali, nedum in generali, de hominum temperamento certi aliquid ſtatuere. Et hoc quidem affirmare auſim, in ſic dictis Medicorum conſiliis, quibus communiter temperamentum perſonæ vel ſubjecti præmittitur, inter centena vix unum produci poſſe, quod cum natura in fundamentis ſit vere conſonum. Neque enim ſufficit ex principiis Phyſiologicis, certam particularum in ſanguine mixturam ſibi efformare ac fingere, & ex concluſione inde facta, hunc vel illum cholericum, ſanguineum, phlegmatico - melancholicum &c. declarare: ſed neceſſe præterea erit, de moribus, & affectuum adminiſtratione, eſſe informatum, antequam aliqua certior de temperamento conjectura fieri poſſit: id quod res altioris momenti ac diuturnioris indaginis erit, neque per viginti vel triginta arteriæ micantis ictus, ſed per diligentem ac repetitam habitus, actionum tam vitalium quam animalium, vigoris, ingenii, morum & reliqua, conſiderationem, cognoſcitur. In genere igitur, ſi de integris nationibus, ac civitatibus aliquid decernendum, mores ſaltem, vivendi genus & actiones aliquod ſuggerere poterunt principium. Nec aliter de his loqui quis poterit, niſi ad illum modum, quo antiquos etiam autores, de hujus vel illius nationis virtutibus ac vitiis locutos fuiſſe deprehendimus: ita *Iſidoro* Hiſpal. qui Chronicon edidit, Afri e.g. ſunt aſtuti ac fraudulenti, Græci leves, Itali feroces & acris ingenii: juxta *Vitruvium* ſeptentrionales mente ſtupent; *Ariſtoteles* in communi dicit, Europæos abundare animo, ac parum ingenio valere & artibus; male autem in ſpecie tra-

ctat

ctat Septentrionales populos, ipsorum ingenium fere tale esse inquiens, cujusmodi ebriosorum est. *Probl. Sect.* 14. *Problem.* 15. *Maternus* scribit, Gallos esse amentes atque inconsideratos: ut nihil dicam de moribus nationum nostri temporis, quæ a *Barclajo in Icone animorum*, & *Scip. Claromontio* potissimum describuntur. Ex quibus patet singulares homines, ex nationibus singulis, in ejusmodi descriptione generali, semper esse excipiendos.

Et tali principio innixum me etiam putes, quando de Warsaviensibus dixero, ad *Phlegmatico-Sanguineos* illos pertinere; de qua corporis habitudine, quam temperamenti differentiam Medici solent appellare, sciendum, in Phlegmatico-Sanguineorum corpore, aquosas, molles & gelatinosas partes abundare una cum calore ast æquabili, substantiam carnis hinc esse magis porosam, pinguedine sufficienti contectam, corporis glabritiem, venas angustas, latentes. Hinc hujus temperamenti viros videbis statura proceros, carnosos, aqualiculo instructos: fœminas autem non minus justa corporis mensura, carne tenella succulantâ, cute polita, luciditate nivea, colli columna alabastrina, pectore turgidulo, candido: quoad ingenium, Phlegmatico-Sanguinei sunt lenti, in aliorum tamen inventis apprehendendis atque admittendis proni & satis idonei; ob animi activitatem moderatiorem pacifici, natura indolentes, opinionibus dominantibus facile cedentes, sibi relicti non exardescentes iracundia, quia ipsa plerumque corporis mole ac carne turgida, ad subitaneum partium motum, qualem ira postulat, non satis sunt expediti: magna autem sedulitate officia peragunt, præsertim talia, quæ vitam postulant sedentariam, quamdiu inspectoris ac Turni præsentia urget, quamprimum autem sui juris fiunt, omnes curas lubenter in alios rejiciunt, otio & somno indulgentes. Hac igitur constitutione partium, virtutibus ac vitiis plus minus gaudere Warsavienses etiam, statuendum quidem, ast magna cum circumspectione, & non nisi

ἐπὶ

ἐπὶ τὸ πολὺ, ſi non ex una parte adulatoris, ex altera intempeſtivi cenſoris atque auſteri nimis Ariſtarchi characteres exoſos incurrere velis. Hoc tamen eſt veriſſimum, loci conditionem & aërem Warſaviæ adeo eſſe benigna, ut ſibi relicti incolæ, atque aſcititiis per aſotiam vitiis non corrupti, utplurimum colorem floridum, corporis firmam ſinceritatem, inoffenſum oculorum lumen, purum auditum, liquidas voces & clarum guttur poſſideant, ut de ingenio nihil dicam, quod illis etiam natura obtigit egregium, ac non niſi his, qui gulæ, luxui immoderatæque voluptati indulgent, hebetatur. Et cum omnis noſtra vis in animo & corpore ſita ſit, *animique imperio, corporis autem ſervitio utendum ſit*, ex mente *Salluſtii*, optandum, ut plus curæ tribueretur illi, qui dux atque imperator vitæ mortalium eſt, animo ſcilicet, ne incultu obſoleſcat & pereat: id vero pauci inter cives noſtros agnoſcunt forte, quorum cultura ad corpus potius referri ſolet, quam ad animum: hinc ventris utplurimum maxima cura, ad labores & occupationes mentis æque ac corporis valde remiſſa & parcior applicatio; cui oſcitantiæ, pro religione obſervanda, frequentiores feriæ admodum favent: ſi quis enim diceret, mediam fere anni partem a Warſavienſibus in feſtis, ac labore vacuis tranſigi diebus, a vero non multum aberraret. Hoc autem tempore, (præter Epiſcoporum, & Paſtorum, qui animabus invigilant earumque ſaluti, & qui curare debent, ut ſit mens ſana in corpore ſano, intentionem,) multis nil magis curæ eſt, quam commeſſationibus & compotationibus indulgere, ac ventrem ad crepaturam usque cibo juxta ac potu infarcire. In ſpecie autem ultimis Bacchanalium diebus, & præſertim in vigilia Cinerum, maxima civium pars, hoc unico die, ſexies fere aqualiculum cum omnis generis ex carnibus paratis alimentis adimplere ſolet, rati fortaſſis, quod immenſa hac carnium ingluvie, felicius Quadrageſimale cum piſcibus, obſoniis, oleo, transigendum tempus, ſuperare valeant. Quibus ac his ſimilibus erro-

erroribus ac vitiis, cumprimis autem insano cremati abusu, naturales temperamenti & constitutionis optimæ qualitates destruunt, variisque morbis ac miseriis fores pandunt. Ita, ut si quis iniquius de Warsaviensium moribus judicium ferre vellet, applicare his multa posset, quæ olim *Stephanus Rex* in publicis Comitiis de tota natione prædicavit. Verba ipsa legi possunt a curiosis in *Sigismundi Augusti Regis Epist. Legat. & Respons. ab H. de Huyssen editis*, p. 552.

CAP. V.

De Morbis Warsaviensium.

M*Orbos* nunc consideremus in præsenti tractatus nostri distinctione, quibus Warsavienses potissimum sunt obnoxii: videt autem unusquisque facile ex antecedentibus, neque aërem, neque aquas & victum, neque ipsum temperamentum tandem, proprie & in se spectata, quicquam notatu dignum suppeditare, quod valetudinis incolumitati adeo possit officere. Adventitiæ itaque horum omnium qualitates erunt, quæ robur ac vires incolarum infringere, ac morbosas eorundem constitutiones producere solent. Videamus igitur, ut nexum cum antecedentibus simul observemus, temperamentum primum, quantum ad ægrotationes facere, qualesque morborum species inducere ordinariè soleat. Et de hoc, quod superius *Phlegmatico-Sanguineum* meritò constituimus, ex Physiologicis constat, omnes, qui potiorem ex phlegmate & sanguine mixturam obtinuerunt, naturaliter & ordinario quidem catarrhalibus restagnationibus atque infarctibus esse expositos, ab acutis affectibus alieniores, affectus etiam soporosos metuere debere, aut impotentiam membrorum, alias stupidam solum, alias totam flaccidam, aliquando & infarctibus quasi rigidam & gravatam;

fluxus etiam & manationes ſubire tales promtius, variasque ſeroſas excretiones; ex ſanguineæ mixturæ participatione iterum, tam ad inflammationes, quam acutas febres, imprimis autem inflammatorias eſſe pronos, itemque ad Arthritica, Rhevmatica, Nephritico-Iſchiatica pathemata. Ex his autem omnibus temperamento alias propriis affectibus, pauciſſimos tanquam vernaculos Warſavienſibus videbis obtingere. Neque præterea hydropi, neque paralyſi, nec febribus intermittentibus, inflammatoriis, hecticis & ſimilibus morbis, quos incolis noſtris obvenire frequentius obſervavimus in praxi, adeo eſſent obnoxii, niſi per immodicas voluptates, continuam ingluviem & crapulam ſuppeditarent occaſionem, ac fomitem accenderent. Temp ... mentum enim phlegmaticum & ſanguineum, evacuationibus ordinario minus ſunt aſſuefacta, & ſi humores excrementitii per continuum materiæ peccantis acceſſum augeantur in his ſubjectis, facile opprimuntur dictis affectibus, præſertim autem febribus. Dum enim apud tales, a ventriculo ipſiusque fermento vinci debeant cibi ac transmutari, ipſi e contrario vincunt, & oppreſſo cum tempore naturali fermento, vitioſam ſui notam, ſolidis fluidisque impertiunt. Juvari quidem apud noſtros Warſavienſes ventriculus, ac corrigi talis error creditur per aromata & ſpirituum ardentium uſum: & verum quidem roborari ſtomachum, ac vivaciorem reddi phlegmaticorum etiam conſtitutionem, ſi aromatibus ſegnioribus, nuce Moſchata e. g. macere, cinnamomo, itemque modico ſpirituoſi liquoris potu utantur; aſt, ſi plena manu calidiſſima aromata, piperata in ſpecie cum zingibere, ferculis adjiciantur; ſi ſpiritu ardente ſeminibus oleoſis aniſi, imo interdum per ipſum Mezerei fructum & corticem, acerrimo reddito, ſanguis exagitetur continuo, quid inde fieri exiſtimes?

Et in ſpecie ab inſano cremati abuſu, apud cives noſtros nimis familiari, non ſolidis duntaxat, ſed fluidis etiam magna infertur mutatio, dum & inflatur quaſi ſanguis, &

ſpiri-

ſpiritus ſimul in ecſtaſin temulentam rapiuntur. Peſſimum autem eſt, quod ſtatim ac in conſuetudinem abierit ex potu hoc ſpirituoſo temulentia, alternare ſoleant homines aſotias, & ubi matutini cremato ſe replerunt, conceptum inde calorem ſitimque inexhauſtam, cereviſiæ rivis excipiant: & ita præter omnem modum vaſa vitalem laticem circulantia, inflant atque extendunt, quæ dum nervos adjacentes premunt, tremorem communiter in artubus poſt ſe relinquunt: præterea mirum eſt illos, qui a ſpiritu vini aut frumenti tremorem & palpitationes contrahunt, rumpi quaſi impatientia, niſi ſtatis horis conceptam ex peſſimo potu ſitim, eodem illo ſpiritu, ut *Pechlinus Lib. III. Obſ.* 38. loquitur, vel provocent denuo, aut extinguant; ubi imprimis obſervandum, quod non ante ſibi redditi videantur hi potores, & a tremore conquieſcant, quam idem illud vinum ardens collapſas venas iterum inflaverit, ſpiritibusque novum immiſerit robur, ſed protinus iterum diſſipandum. Invenias etenim homines bibendi conſuetudine eo deductos, ut vix horæ ſpatio ſine ardentis aquæ potu eſſe poſſint, & ſomnum quoque interrumpat damnatiſſima ſitis. A quo immani ardentis ſpiritus ingurgitatione, favente acerrimorum ſimul in alimentis aromatum uſu, plerique Hydropem, Icterum, Cachexiam & Tabem tandem incurrunt, vel Apoplexia etiam & Paralyſi pereunt. Reliqua, quæ in victu ad temperamenti naturalis bonitatis deſtructionem faciunt, multiplici ac nimis frequenti, piſcium mucilaginoſorum partim, partim etiam muriaticorum, & olei lini expreſſi, uſui in acceptis erunt ferenda, utpote quibus non ſaltem bis vel ter in ſeptimana, ſed per totum inſuper Quadrageſimale tempus, non computando ſimul feſtorum vigilias, veſci, per cultus religioſi leges tenentur. Quantum in de damnum ſexus ſequior, ratione formæ corporis venuſtæ, quam inſigniter infringit, & fluoris albi a ſtomacho ac digeſtione læſa originem trahentis, patiatur, ſuperius jam attigimus; reliqui autem, propter craſſiorem inde natam ſangui-

nis crasin, liberamque ejus circulationem motumque impeditum, scorbutica symptomata, ventriculi inflationes, Anorexias, Leucophlegmatias, Hydropes, Cachexiam incurrunt; ad quos affectus, laxior corporis, ex phlegmatici temperamenti mixtura eminente, habitus, multum conferre & alias observatur.

De Aquæ vitiis, & quales hæc morborum species producere apud incolas Warsavienses valeant, vix habeo quod moneam. Vistulæ enim aqua, omnibus quidem pro salutari sufficeret potu: si autem quædam, præsertim ex puteis haustæ aquæ, multis, præter calciformem terram, aluminosis ac nitrosis scateant salibus, uti ex præcedentibus patet, neque tamen adeo poterunt nocere, utpote factæ inde diureticæ, quales phlegmaticum & ad stases atque obstructiones pronum corpus, non possunt non magno adhuc beneficio afficere, dum humores in fluore felicius conservant, & superfluum serum ex diætæ erroribus collectum continuo educunt, neque sic ad illa mala scorbutica, quæ *Rob. Boyle in Historia Aëris* proponit, possunt disponere: multo minus autem ad Arthritidem & Calculos, prout *Listerus de terris & aquis Angliæ, Exercit. II. p.* 81. *Edit. Londin. Ann.* 1684. annotavit, quod multum de Vitriolico sale participent, & apud nationem suam calculos cumprimis concrescere faciant, quos ex vesica exsectos vel ex renibus expulsos, calcinatos ac pulverisatos a magnete ideo trahi persuasus est, quod ipsius merito experientiæ relinquimus: de Aquis autem Warsaviensibus in genere asserimus, has neque Arthritidi neque calculo generandis proprie favere, & paucissimos, quod in communi Warsaviensium luxurie mirandum, hic invenies, qui vel Arthritide vera, (Plicæ enim symptomata excipio,) vel calculosis affectibus laborent. Interim tamen etiam ambigo, an his nitrosis atque aluminosis aquis in acceptis non sit ferendum, quod plures Germanorum & in specie Saxonum, quando prima vice Warsaviam veniunt, communiter aliquam appeti-

tus

tus dejectionem, quam ſtomachi refrigerationem appellare ſolet vulgus, patiantur, quæ non raro in diarrhoeas & lienterias, ſæpius etiam in intermittentes febres ſe terminare ſolet; nec facile vincunt hocce malum, niſi tempeſtive ſtomachalibus aromaticis medicamentis ſibi medeantur; quod plerique autem neglectis his, cremati uſu, obtinere ſatagunt, atque inde, quod pejus, in cremati picam incidunt, ſuperius laudatam.

Tranſeamus jam ad *ipſius Aëris vitia*, videndo, quales affectiones illa apud cives inducere valeant, ante omnia hyemales atque æſtivas cum ventis Borealibus & Auſtralibus, alterationes examinando. De quibus notum jam ex ſuperioribus, valde interdum illas eſſe, apud Warſavienſes, ab uno extremo ad alterum tendentes, exceſſivas. Dum igitur gelu, quod hyeme viget, & per Borealem & Orientalem ventum, cui Warſavia potiſſimum expoſita, ob altiorem ex hac parte ripam, augetur egregiè, vim adſtringentem & coagulantem per ſe poſſidet, atque hinc humores & præſertim ſanguinem craſſiorem reddit, circuloque libero ſanguinis & transſpiratione inſenſibili impedita, humores, quia citius lubentiusque exteriores partes frigus invadit, in corpus retrogredi facit, ex hoc paſſim ſtaſes & ſpaſmos oriri neceſſe eſt, quales potiſſimum in Pleuritide, Peripnevmonia, Catarrhis ſuffocativis, febribus omnibus Catarrhalibus &c. obſervamus. Quod ſi tunc vaſa cerebri oppleta ſint, inſequiturque ſtaſis, tunc vertigines, affectus ſoporoſi, apoplexiæ, exinde oriuntur: ſi autem in abdomine contingunt ſimilia, affectus torminoſi, colici, inflammatorii &c. naſcuntur. Et memini me non ſemel obſervaſſe, ſilentes hepatis, lienis, Meſenterii & genitalium partium a glandularum vitio dependentes affectus, ejusmodi vigente gelu extraordinario, revivixiſſe, atque in ingentes ac deleterias corruptiones, præſertim inflammatorias, fuiſſe mutatos. Venti enim Boreales omnibus inflammationibus, affectibus dolorificis nervinis ſunt inimici,

mici, partim quod transſpirationem & evaporationem materiæ peregrinæ inſenſibilis impediant, partim etiam, quod fibras, quæ in ſpaſmo, dolore, tenſæ ſunt ac diſtentæ, magis tendant, unde dolores non poſſunt non augeri, qui eo acerbiores ſunt, quo magis tenſæ fibræ.

Cum autem e contrario æſtatis tempore nimius in hac regione calor & æſtus viget, paucis ventis, qui alias æſtatis tempore rariores ſunt, ventilatus, neque per montes, qui ad aliquot & quadraginta milliaria fere nulli ſunt, fractus, ſummopere interdum incolas angit. Tunc enim vapores pravi ex ſtagnantibus aquis per totam Urbis viciniam exſurgunt atque aërem inquinant, qui eo periculoſiores, quo plus paludoſæ illæ aquæ exſiccantur, & ita viroſa ſua effluvia copioſius exhalant. Qua occaſione Warſaviæ febres intermittentes mali moris, acutæ, malignæ, purpuratæ, Petechiales, cum Diarrhœis ac Dyſenteriis graſſantur maxime: in ſpecie autem Dyſenteria eo gravior, quo humidior ſimul tunc atmoſphæra, qualis Anno 1714. quo per duos fere menſes Julium & Auguſtum Auſtralis ventus, cum pluviis interdiu, noctibus autem ſerenis, ſpirabant, Warſaviæ, obſervabatur graviſſima, ob inſignem malignitatem ac putredinem pluribus funeſta. Quod ſi autem eodem æſtivo tempore, nullæ, aut rariores pluviæ, venti autem Orientales violentiores ac crebriores, Pleuritides tunc ac Peripnevmoniæ exſurgunt æque frequentes ac ipſo hyemali tempore, illis præſertim inſidiantes ac infeſti, qui a calore æſtuantes incauti ſubito auram a ventis frigidam, abjectis veſtimentis excipiunt. Adhuc unum, antequam ab æſtatis noxis diſcedam, de Auſtrinis ventis in genere monendum habeo; licet hic loci valde, propter objectos ab Auſtrali plaga altiores montes, fracti ſint Auſtrini venti, flantibus his tamen, æque ac per totam fere Europam, obſervamus, vivam illam elaſticitatem, in humoribus noſtri corporis, nimia humiditate debilitari, indeque ſpirituaſcentiam ſanguinis debitam, ejusque motus minui, unde ad

corruptiones communiter manifeſtus fit tranſitus: conſequenter putridi morbi, febres petechiales, ſynochi, variolæ morbilli tunc regnare conſueverunt. Bene tamen, ſub tali conſtitutione aëris, quod & Warſaviæ pluries obſervavi degunt Phthiſici, Peripnevmonici, Hectici, & omnes, qui ex pectore ac difficili reſpiratione laborant, qui omnes alias in ſereno Boreali & Orientali aëre pejus ſe habent. Cujus hæc eſt ratio, quod cœlo ſereno promptior ac citatior fit circulatio, per conſequens major ac vegetior ſanguinis ad pulmones impulſus, per quos, vitiatos antea, cum non tam libere tranſire queat, anguſtiam & anxietatem auget.

Vernali atque autumnali tempore autem, & hoc Warſaviæ, quod ubique fere locorum, obſervari ſolet, quod morbi tunc naſcantur frequentiſſimi; id quod crebras & ſubitas ventorum & aëris his temporibus contingentes mutationes potiſſimum efficere, in aprico eſt. Nihil enim magis corpori noſtro poteſt eſſe infenſum, quam, ſi poſt Auſtrum e. g. flantem, mox Boreas ſubſequatur & vice verſa. Si enim tunc aër interior mox nimium expanditur & ſanguis fluidus fit, mox ſubito ab aëre extrinſeco comprimitur & coagulatur iterum, neceſſe eſt, ut in motu humorum tam inteſtino, quam progreſſivo magnæ alterationes & anomaliæ oriantur, excretionisque negotium turbetur ac pervertatur inſigniter.

Nihil adhuc dum, inter morbos Warſavienſium verſantes, *de Endemiis* diximus, quorum mentionem & relationes tamen ab antiquis æque ac modernis Rei Medicæ ſcriptoribus, in ſcriptis ſuis hinc inde ſemper annotatas invenimus. Sic *Lucretius* & *Aretæus* ophthalmias in Achaia, & Athenis in ſpecie podagras, fuiſſe communes referunt: Leucophlegmatiam Romæ quondam familiarem extitiſſe meminit *Cælius Aurelianus*, quo morbi affecti tunc collo & pectore intumeſcebant, ſine febre, ſine dolore ullo, nec inferiores partes quicquam inde mutatæ erant. Carbunculus Narbonenſi provinciæ olim erat proprius, uti ex *Plinio* conſtat, qui & de Mentagra

tagra faciem deturpante, de Gemurſa pedum digitos infeſtante ac depaſcente, Elephantiaſi totum corpus cum inflatione manuum ac pedum inſigni corrumpente, quod Ægypto proprii & peculiares morbi fuerint, memoriæ mandavit; in ſpecie autem de ultima notatu dignum fuiſſe aſſerit, quod, cum in Reges & Tyrannos Ægypti incidiſſet, populis ominoſa & funebris, propter cædes & funera innocentum extiterit: *Quippe in balineis ſolia temperabantur humano ſanguine, ad medicinam eam;* uti loqui amat *Hiſt. Nat. L.* 26. *cap.* 1. In Arabia, Ormo inſula, in Gamron & Laor Perſiæ, in Guinea Africæ, hoc noſtro adhuc tempore, vexantur homines affectu ſingulari, quo ipſis vermiculi in carnoſis partibus generantur, duro & fatali utplurimum corporis ſupplicio, quo de amplum edidit Commentarium *G. H. Velſchius* ſub *Venæ Medinenſis* nomine: Hydrocelen autem *Andrum* vernacula appellatam, & Spinam Ventoſam, ſub *Perical* nomine ibi notam, regioni Malabaricæ endemios & communes morbos eſſe, ex *Kæmpferi Amœnitatibus Exotic. Obſ.* 7. *Faſcic. III. p.* 557. conſtat. Aſt, ut verum fatear, de ſingulari endemiorum titulo, Warſaviæ meæ inſerendo, dubitavi quidem ab initio penitus, quia nullus fere occurrebat affectus, qui tria illa requiſita, quo dicatur endemius, in ſe continebat, ut ſcil. multos in eadem urbe vel loco afficiat, ut ortum ſuum habeat a cauſa quadam communi, & quidem non aliunde illata, ſed innata, & ut malum illud perpetuum ſit, ad plures annos imo ſecula extenſum: cum tamen poſtea apud me cogitaverim, quod *Plica*, ab antiquiſſimo tempore, ſub *Polonicæ* proprio nomine, circumferatur in Medicorum Scholis, & jure meritoque pro totius Sarmatiæ endemio affectu ab omnibus venditetur, ſana ratio & Logicorum regula: quod prædicatur de toto, prædicandum etiam de ſingulis ejus partibus, ſuaſit, *Plicam Polonicam*, qua magna civium pars, ſi non explicite certo implicite infeſtatur utplurimum, inter morbos Warſavienſes, ut endemium recenſere. Nam cauſa omnium endemiorum, licet

cet

cet etiam ab initio ſaltem fuerit adventitia, poſtmodum, ubi per plures annos in eodem loco fixa permanet, indigenis non immerito annumeratur: ad quem modum advenæ in ordinem civium recipiuntur, quando in urbe aliqua ſedem fixam ſibi elegerunt, non æque autem illi, qui certis ſaltem diebus menſibusve inibi commorantur peregrinatores.

Eodem modo, fœda illa *Pocutienſis Lues*, ab initio adventitia, tandem etian fixum ſibi locum, uti in pluribus vaſtiſſimæ Sarmatiæ provinciis & oppidis, ita & Warſaviæ elegit. Horridi autem hujus affectus ortum & progreſſum quod attinet, variæ quidem autorum ſunt ſententiæ. *Epiſtola D. Laur. Starnigelii Rectoris Academiæ Zamoſcienſis, ad Profeſſores Academiæ Patavinæ Medicos, Ann.* 1599. exarata, antiquiſſimum & primum forte de hoc affectu ſcriptum, docet, quod inter Hungariam & Pocutiam, Regni Poloniæ provinciam, *primum poſt A. C.* 1287. iſtiusmodi cirri in crinibus hominum obſervati fuerint, paulo poſt per totum Sarmatiæ Regnum ſparſo malo, de quo ad exteros etiam per contagium ſine dubio, extenſo ſcitu digna annotavit *J. Schenckius L. 1. Obſerv. Med. p. 6.* & *Dan. Sennertus Prax. Lib. V. P. III. Sect. II. cap. IX.* Qua ratione autem primum in Pocutiam venerit, alii ita explicant, quaſi ab ipſis Tartaris in Poloniam ſub finem ſeculi XIII. irrumpentibus translatum fuerit malum. Et conſtat quidem ex Hiſtoricis Polonicis probatiſſimis, in ſpecie *J. Dlugoſſo Hiſt. Lib. Septimo*, Tartaros ab Anno 1241. usque ad annum 1287. ter ad minimum, repetitis vicibus, magnam Poloniæ partem, præſertim autem, omnem terræ Cracovienſis oram verſus *Sandec* ſitam usque ad Alpes Pannoniæ invaſiſſe ac devaſtaſſe, atque interdum per biennium & ultra in uno loco reſtitiſſe cum ſuis copiis. Ita enim ipſe loquitur *Dlugoſſus* l. a. *Provocatus Deus Polonorum fœdis ſpurcitiis & impiis execrandisque facinoribus, ſuſcitavit Tartarorum ferocem & barbaram gentem contra eos, primo quidem Anno* 1241. *altera vice Anno* 1257. *& tandem præ cæteris notabili devaſtatione Anno* 1287. *quo tempore fame &*

penuria Tartari pressi, atque Polonorum oscitantia securitate atque dissidiis invitati, instar luporum voracium, sub ipso hyemis initio, invaserunt dictas Poloniæ partes, & tantam ibi fecerunt ense, trucidationibus, rapinis, violationibus ac stupris, tandemque captivitate & raptu, inter populos stragem, ut præda ipsorum ultima vice, apud civitatem Vladimiriensem partita, viginti millia plus virginum & juvencularum nondum nuptarum continuerit. Quantis autem, per toties repetitas invasiones, intra hos 40. vel 50. annos, conspurcaverint provincias illas stupris, quivis facile comprehendit, qui ex eodem *Dlugosso* repetet, quod *Tartari in crapulam, libidinem cæterasque voluptates sint*, uti loqui amat, *projectissimi.* Licet igitur, quod obstare posset contagii origini, Tartari nunquam forte ordinarie Plica ipsa laboraverint, quia tamen ex bellui no vivendi more, & tunc temporis forte, propter annonæ apud suos caritatem, ex absurdis, carne equorum, fortassis etiam morticina, aliisque præ fame devoratis, succos in corpore colligebant impurissimos, quos postea miseris, terrore, desperatione, inedia confectis incolis per libidinosam compressionem communicarunt, inde, apud ingravidatas atque imprægnatas, monstrosum ejusmodi malum fœtui impressum, primam forte traxit originem. Sine dubio enim apud miseras tales sub ipso congressu, rigidæ assurgebant comæ, vox faucibus hæsit, & totus corporis latex coagulum quasi & stagnationem præ terrore passus fuit, dum Satyris illis & monstris, nolentes volentes corpora prostituerunt. Postea autem per hæreditatem partim, partim per ipsum contagium longe lateque malum fuit dispersum. De quo, ut minus dudubitem, vel ipsa fœda Venerea lues, ab Hispanis ac Lusitanis ex Indiis Occidentalibus ad nos delata, persuadet facile. Ibi enim præsertim in Peruviano & Brasiliensi Regno, ex victitatione bestiarum venenatarum, & uti quidam volunt, nefando cum bestiis coitu, incolæ fœdissimos in corpore nacti fuerunt latices, cum quibus Lusitani atque Hispani per carnalem copulam libidinose commixti, tertium quoddam inde

con-

contraxerunt malum, sub hac specie incolis illis minus notum, quod lues Neapolitana primum appellatum fuit. Quidni igitur eodem fere modo Poloni, ex fœda cum Tartaris commixtione, excludere potuerunt horrendum talem fœtum, *Plicam* videlicet. Quod quidam ex Auctoribus, qui de Plica aliquid meminerunt, non debite examinantes, aniles illas in scriptis suis vulgarunt fabulas, Tartaros nimirum corda ex occisis Polonorum corporibus extracta venenoque infecta, sub finem seculi XIII. uti superius dictum fuit, fluviis injecisse, atque ita Gorgoneam virtutem, crines in Medusæ ornatum convertendo, iisdem conciliasse, sicut *Pastorius* cumprimis in *Floro Polon. L. 2. cap.* 14. atque ex illo forsassis *Gockelius in Gallic. Med. Pract.* aliique plures, unus ex altero repetendo, asserere non erubescunt. Inquinarunt tunc quidem Tartari non fluvios, sed sanguinis Sarmatarum rivulos, dum virus ex fœdissimo equorum & morticinæ victu innatum, communicarunt Polonis, æque ac Peruviani & Brasiliani olim curiosæ ac libidinosæ Lusitanorum & Hispanorum genti, Venereum miasma.

Sciendum autem præterea etiam de Tartaris, quod per ordinarium & consuetum, citra omnem annonæ caritatem, victum, crudissimos & crassos admodum in corpore humores colligant, ex immani & quotidiano carnium equinarum usu & esu. Constat enim ex relatione illorum, qui Tartarorum provincias ex infelici captivitate aut alia occasione inviserunt, (qualem nuperrime a sacerdote quodam Transsylvano natione, religione Catholico, qui per aliquot annos vincula barbaræ hujus gentis expertus fuit, pio, modesto ac prudenti viro audivi,) quod infantes fere omnes suos Tartari statim ac nascuntur, ab uberibus maternis & humani lactis usu arceant, & equis lactantibus subjiciant, quorum lacte tamdiu nutriuntur, donec solidiori victui assuescant, ubi iterum, equina caro pro ordinario inservit nutrimento. Et hæc quidem omnia ex hac ratione, quia per lac equinum infantes

longe robuftiores fieri autumant, ac fi humano & materno lacte foverentur. Ex quo fundamento equinas carnes etiam in victu omnino præferunt bubulis, per experientiam edocti, longe has ad robur conciliandum corpori, præftare aliis omnibus. Quapropter & captivis miferis non alias facile carnes pro ordinario victu concedunt, quam equinas, & quidem, quod miferiam ipforum maximopere auget, femi-crudas: non enim nifi illis, qui ægrotant vere, bene affatas concedunt, in quo cafu & bovinas & agninas eodem modo præparatas miferis comedere licet. Si quis autem fanus his ultimis vefci comperitur, id quod barbari ftatim ex remiffioribus ad labores viribus cognofcunt, plagis ordinarie propterea crudeliter excipitur. Ex his de nativa & vera Tartarorum conftitutione & humorum crafi judica, & Tartarum ab ipfa usque infantia totum quantum equinis humoribus dicam an moribus imbutum effe comperies: talique modo, dum cum aliarum nationum fœminis carnali fe jungit copula, non minus inquinare has, quam Brafilienfes quondam Hifpanos, poterit. Accedit in fupplementum, quod equi Tartarorum æque ac Hungari tefte *Sennerto* l. c. & aliis, Plica etiam laborent. Quos fi apud Tartaros in fpecie, hoc malo jam a centenis aliquot annis infectos fuiffe fupponamus, uti rem conceffam, clariorem & maxime evidentem hinc deducimus Plicæ in Sarmatia originem.

Nec quis feduci fe patiatur in origine Plicæ explicando temere illo notiffimo, quod Germani huic morbo impofuerunt nomine, dum quafi a Viftula fluvio, Weichßel-Zopff, vel ut alii rectius *Wichtel-Zopf*, appellare confueverint. Hoc enim vel per ignorantiam veræ hujus mali originis, vel per male intellectam vocem *Wicht*, quod apud Hungaros, fortaffis etiam in Slavonica lingua, luem quamcunque, præfertim quæ cum Pica quadam conjuncta effe folet, fignificat, dum Wicht in Weik & Weixel torferunt, factum fuit. Polonis enim hæc de Viftula ducta etymologia eft incognita,

ut-

utpote qui morbum hunc vernacula sua communiter *Koltun*, vel etiam *Gozdz*, appellare solent, quod utrumque vocabulum paxillum vel clavum significat, eo fortassis, quod crines convoluti capite propendeant instar paxilli. Et hoc modo sub contagii facie & titulo origo turpissimi hujus mali optime concipi ab unoquoque potest, ut a causa remota. Quod si enim, uti alii existimant, aquæ minerales salsæ, ex Panroniæ Alpibus profluentes, & proximos fluvios inficientes in causa essent, unusquisque ex advenis in Polonia per aliquot annos commoratus, Plica similiter inficeretur ac alii indigenæ, cum tamen per experientiam constet, nullum unquam ex exteris hoc malum pati, nisi cum Plicata fœmina, vel fœmina cum Plicato mare, rem habeant, aut per intimiorem ac propiorem contactum & usum stragulorum aut vestimentorum sudore Plicati conspurcatorum, inquinetur. Sciendum etiam, quod fluviorum in Sarmatia paucissimi ex jugis Carpathicis prosiliant, hique in mare nigrum postea illabentes, vix extrema Poloniæ alluant. Ut taceam, fluviorum inquinamenta supposita, mox per affluentes alias ex mediterraneis locis aquas corrigi atque emendari continuo. Dum enim rivos illos a meridie Septentrionem versus ex montibus per Pocutiam fluentes & salis mixtura imbutos, posthæc aliis aquis mixtos, salsam suam cruditatem communicare supponunt, sequitur inde, ut quo remotiora a Pocutia & Alpibus Pannonicis fuerint loca, eo certius secundum proportionem minus jam infectarum aquarum, Plicæ frequentiam decrescere, quod tamen falsum, dum malum hoc per totam Roxolaniam, (sub qua & Russia & Volhynia comprehenditur,) atque ulterius per ipsam vastissimam Lithuaniam, ubi maximus Plicæ inter Hebræos æque ac Christianos proventus est, grassetur. Eodem fere modo & *Bonfigli* Itali opinio recentissima de origine Plicæ refutanda: dum enim ipse aquam per terræ pinguedinem (vel oleositatem mineralem ut vocat) inquinatam pro causa universali Plicæ allegat, non recordatur in Italia sua,

præcipue in agro Neapolitano prope Puteolos & Vesuvium, longe copiosiores & frequentiores aquas dari pinguedine vel sulphure impraegnatas, Plicam tamen ibi cerni fere nullam. Ridendi tandem penitus mihi videntur ut leves & imperiti, qui sorditiem & ignaviam solam in pectendis crinibus huic monstrosæ complicationi primam dare originem existimant: ignari fortassis, quod Polonorum nobilissima gens, patrio more, lunata fronte incedat, capitisque amet levitatem. Vidi non semel in munditie exactissimos, ab hoc malo tamen liberos esse haud potuisse: & in specie recordor Generalis cujusdam officialis bellici, natione quidem Poloni, ast qui diu etiam in Saxonia commoratus fuit, tandem Posnaniæ per paucos aliquot annos degentis, qui, non obstante omni corporis cura, cui maxime deditus erat, propter sexus sequioris amorem, tantam contraxit in capite Plicam, ut vix peregrino capillitio contegere satis illam potis fuerit. Quo cum convenit, quod *J. F. Bachstrohm in Dissert. sua Inaugurali de Plica, Hafniæ,* 1723. *publicatâ* adducit exemplum: *Mulieres plures nobiles,* scribens, *comptissimæ, tædio hujus mali inductæ, quicquid ex rescindendo noxæ provenire posset, spernentes, ad cutim usque abrasis capillis, quotidie postmodum bis aut ter de capillis pectendis solicitæ fuerunt, quo complicationi novæ occurrerent, sed post tempus aliquod renovatis doloribus, eisdem per unam noctem ex improviso, nemine, neque ipsis attendentibus, sub lenissimo formicarum repentium sensu, adeo contorti atque complicati fuerunt crines, ut omnem pectendi extricandique conatum penitus eluderent.*

Et hæc quidem de origine: *historiam* autem *Plicæ* ipsam quod attinet, habet se hæc fere, uti ex propria & aliorum experientia nobis constat, sequentem in modum: corripiuntur hoc malo omnis ætatis homines, nec pueri aut puellæ immunes, nec sexus alteruter aliqua gaudet prærogativa. Furfures aliquando primo, aut pediculi etiam in capite generantur, & tum unus aut alter cirrus cum vicinis sibi crinibus complicatur & densus in conspectum prodit, his a syncipite, illis ab

occi-

occipite propendens, aliis ad instar cucuphæ totum caput involvens, aliis ad instar panni crassioris & lati, ad librarum aliquot pondus tergum tegens, pondere ac horrido conspectu molestus: visi etiam fuere ejusmodi cirri aliquot ulnas longi, erecto stante homine pavimentum attingentes. Sub ipsa mali invasione, primo dolores obtusiores, aut saltem artuum torpor, digitorum etiam, manuum, pedum &c. oritur: ubi hic spinam dorsi, maxime scapulas, cervicem & occiput occupat, molestior status cum doloris augmento. In omnibus fere inter sensum frigusculi aut venti ex vertice prodeuntis, hic pullus excluditur. Inter quas affectiones vidi plures gravissime simul & quasi continuo febricitantes cum exacerbatione sub vesperam. Utplurimum autem hi dolores ad semestre spatium, extenduntur, usque dum germen horridum illud extrudunt. Interim etiam ungues pedum & manuum crassitie extraordinaria, incurvatione cum flavo & livido colore, itemque scabritie afficiuntur: in nonnullis ulcera ac tumores variis in locis post hos dolores succedunt, difficillime sanabiles: in aliis oculorum acies infringitur, pellicula, nube, cataracta, gutta serena exorta: aut artuum contorsiones, spasmi tendinum, contracturæ sequuntur: interdum scrophulæ oriuntur & strumæ, quando viscidi humores in tubulis glandularum constrictis stagnant. Vidi elegantissimam alias virginem nobilem in majori Polonia, quæ ex resectione Plicæ strumosum tumorem passa fuit in crure sinistro, tanta cum difformitate, ut hoc in ingentissimum tumorem extenso, elephantis potius quam hominis tibiam referret: interdum ad ossium substantiam penetrat fœdum virus, unde tubercula dura & exostoses in illis oriuntur, & fragilia redduntur: nonnunquam dorsi vertebras inficiendo, gibbositatem inducit: ordinarie autem corpora illa gravius affligit, quæ impuris alias ex scorbuto vel cacochymia scatent humoribus. In quibus autem ordinariam sedem sibi morbus hic eligit crisi quasi perfecta, his unica sæpius nocte capilli com-

complicantur, cum dolorum cessatione plenaria. Notandum etiam, quod sæpius ante eruptionem & etiam in statu morbi, Picam patiantur Plicati, & certo potus aut alimenti genere copiosius ingesto, levamen sentire persuasi sint. Communiter autem hæc Pica pro objecto, amabile illud crematum, maxime expertitum Polonis plebejis potum, habere observatur. Fœminæ Plicam patientes, utplurimum, præter mensium irregularitatem, etiam particulariter dolore lancinante sub sterno, afficiuntur, quo distingui possunt reliqui, quos cum Hysterica passione communes habent dolores. Post abscissam Plicam, omnia ante recensita pathemata recrudescunt & duplicantur fere: communiter autem in oculis inde damna patiuntur gravissima, & visu privari penitus solent, nisi valido naturæ nisu iterum iterumque expellatur Plica; quo ipso tamen nullo modo dolores auferuntur penitus: multos etiam hinc vidi in Phthisim perfectam, Hecticam & Tabem universalem præcipitatos. Et quæcunque ab autoribus quibusdam allegantur in contrarium de impune abscissa Plica, & hoc ipso curata & profligata, nullius sunt valoris aut veritatis; neque enim respexerunt ad aliquod ab rescissa Plica retro tempus: occultatur scilicet interdam malum ad plures annos, nullo modo tamen penitus victum. Et miror certe inter Medicos etiam fuisse, qui abscissa Plica, curationem perfectam mali, suppeditatis postea Mercurialibus remediis ac lignorum decoctis, præstitisse gloriantur. Hoc non nisi his fortasse obtinget, qui circumforaneorum instar, per breve tempus, annum unum aut alterum etiam, in loco aliquo hærent, deinde, quam fieri potest citò curatis putatitiis valedicunt, & quam longe possunt aufugiunt, ne querelas ex recidiva cum maledictis deceptorum exaudiant. Actus enim secretorius in Plica per totam vitam continuatur, quapropter organum ipsum secretionis nullo modo est destruendum, siquidem inquinamentum hoc est instar fermenti, cujus minima particula restitans, totam humorum massam in novam exæstuationem ciere potis est.

De

De Causis Plicæ dum tractandum, difficillimum esse fateor, proximam hujus mali ita proponere, ut & ab omnibus intelligi & cum aliis non confundi possit. Superius jam monui, communissimum esse, universalem causam cum occasionalibus & procatarcticis confundere: qua ratione videbis communiter Autores in explicanda Plicæ causa ad aquas impuras, duriores, salsas, bituminosas & pingues ex putredine, provocare: alios cremati & acriorum, viscidorumque alimentorum devorationem & abusum accusare: multos denique ut proximam, viscositatem humorum & congestionem eorum ad caput, proponere, non cogitantes forte, quod & in aliis regionibus omnia illa de aquarum corruptione, alimentorum viscidorum & acriorum usu, humorum inde nata cacochymia & congestione speciali, observentur quotidie, in quibus tamen nulla de Plica querela. Magnum quidem fateor primo intuitu applausum merentur, quæ *Dan. Sennertus Prax. Lib. V. Part. 3. Sect. 2. Cap. 9.* proponit, dum existimat, in iis locis, ubi Plica est endemia, vitium genio loci & aquis inesse, quod copiosum pilis nutrimentum suppeditet, reliquis vero corporis partibus inutile imo noxium. Verum enim vero, concedo quidem in aquis & alimentis latere aliquid, quod malum fovet, dum ex duris, calciformibus & aluminosis particulis aquarum, humores corporis nostri valde vitientur, atque ad stagnationes, coagula & viscositates disponantur, de reliquo autem hæc omnia nec remotam universalem, nec proximam causam mali attingunt ullo modo, quia hæc & aliis populis Plica non infectis, sunt communia. Proximam igitur causam quod attinet, sicuti nec de lue Venerea, nec de Scorbuto, communissimis malis, hæc unquam demonstrata fuit accurate satis, ita nec de Plica perfecta ejus dari poterit probatio. Unde non male etiam doctiss. *Rolfinccius*, dum de Plica mentem suam explicare debet, *in singul. de hoc morbo dissert.* scribit: *malignæ, venenatæ qualitatis cujusdam particeps Plicæ est materia, sed ἄρρητος eadem est, & vix explicabilis ejus species.*

Omnium optime autem aliquid de hac, per recensionem *formalitatis mali*, conjectari poterit, quam cum Clariss. D. *Stabel in peculiari de Plica Diss. Halæ*, 1724. *publicata* sequentem in modum delineabimus: quando inquinamentum hoc cuti, quæ cranium investit, communicatur, & ad cavos crinium bulbos per minima vascula, quæ cutem transeunt, pervenit, levis quædam constrictio in hac membrana, maxime in corpore illo, quod a Malpighio reticulare vocatur, atque ex nervulorum extremitatibus est conflatum, oritur, quam deinde immediate major vel minor humorum serosorum ac lymphaticorum affluxus ad has partes sequitur; qui stagnantes ibidem humores prius quidem per poros hujus cutis transeunt, & tum externe, prouti magis vel minus ab ambiente aëre externo coagulantur, seu glutinosos sudores in superficie capillitii conspicuos, seu furfures constituunt. Postea vero, quando successive ab affluentibus copiosis istis humoribus pori non tantum cutis illius sed bulbi etiam crinium nimis ampliantur, & latera illorum nimis distenduntur, pili non solum in majorem excrescunt longitudinem, sed ruptis plurimorum illorum bulbis, largior quoque liquorum istorum fit affluxus, unde crines tum in tricas, cirros & funiculos inexplicabiles, variæ figuræ ac magnitudinis conglutinantur, complicantur & concrescunt. Speciale autem hoc, superius allegatum inquinamentum ita comparatum est, ut reliquis corporis partibus omnibus sit infensum, & per nulla alia organa secretoria, neque per alvum, neque per renes, neque per transpirationem eliminari possit, sed solus mechanismus cutis, quæ cranium investit, & pilorum, specialissimus est, qui commode & unice hoc miasma & secernit & excernit. Quamvis igitur natura & indoles hujus inquinamenti ac fermenti plicosi determinari non possit, ex effectibus tamen quos in corpore humano communiter præstare solet, concludere licet, quod Salino-Sulphurei sit generis, & uno verbo, Trichodes-heterogeneum appellari queat

com-

commode. Liceat igitur tandem *Plicam* definire, *quod sit pilorum, capitis præsertim, confusa complicatio aut intricatio, ex contagio partim, partim ex hæreditate nata, & per specificum quoddam inquinamentum producta, cujus natura in Salino-Sulphureo acri fermentifico & Trichode Miasmate videtur consistere, quod natura, ut noxiam materiam, non ad alia corporis emunctoria, sed per capillorum loculamenta sola, ordinario modo expellit.* Soli igitur crines sunt organon, ad secernendum atque excernendum turpissimum hoc miasma, adæquatum, reliquis autem omnibus corporis humani organis inquinamentum hoc Trichodes est infensissimum, & lædit protinus ac eadem saltem attingit. Quod præcipue propter medendi methodum hujus mali est notandum. Et in hujus historia omnino prolixiores paulo fuimus, non saltem propter minus hactenus claram Plicæ descriptionem, sed etiam potissimum ex hac ratione, quod Plica non minus fere ac scorbutus in maritimis locis, apud Polonos Proteum agat, formas omnes assumere natum, & sub aliis morbis eorumque symptomatibus incautis Medicis imponat. Unde certe non sine fundamento scribit *Laur. Starnigelius Acad. Zamosciensis olim Professor in Literis ad Patavinos* superius allegatis: *Malum hoc cum exhalatione fuliginosa, ex qua nascuntur crines communicat, videturque cum Tinea affinitatem habere: atque cruciatu ossium cum Gallica lue: cum Phthiriasi redundatione Vermium: cum Arthritide, artuum dolore: cum spasmo, contractione miserabili membrorum.* Sicuti igitur prudens Medicus ubique in morbis populorum maritimorum ac septentrionalium præcipue de scorbuto latente non sine utilitate suspicari solet, sic in Polonia ferme non semper suspicio de Plica utiliter cum methodo medendi combinatur.

Mirari autem quis posset, quod de *Scorbuto* incidenter jam nominato, ut endemio æque ac Plica malo, nihil a nobis dictum adhuc fuerit. Præsertim, cum jam ab antiquissimo tempore Poloni inter Septentrionales populos numerati fuerint: *Olaus Magnus* autem *Gothorum Archiepiscopus*, antiquissi-

mus de Arctois regionibus scriptor, Scorbutum ut Septentrionis flagellum allegare non dubitet, &, quod mirum, cum multis in locis eum figmentorum alioqui minime puduerit, hunc affectum tamen *Lib.* 16. *Histor. Septentr. cap. de Varietate Ægrotant. Morbor. & Medicin.* adeo graphice describat, ut naturam ejus optime cognitam habuisse videatur. Verba autem ejus propria hæc sunt: *Apud Septentrionales ex cibis, piscibus, carne, sale & suffitu maceratis, esculentis frigidis ac crudis, pane non probe pisto, morbus ille horrendus a vulgo dictus Scherbock, incrudescit, quo fauces & gingivæ putrescunt, ventriculus duris cruciatibus torquetur, dentes stupent & vacillant, membra carnosa tumore inflantur, & caro sub cute livida ac ut cera mollis tabescit, ac digitorum impressioni velut œdema cedit.* Et quamvis tota *Olai Magni Historia* illas septentrionis gentes concernere videatur, quæ Scandinaviam veterem, maximam illam Europæ Peninsulam inhabitaverunt, Poloni tamen uti & Prussi itemque Livoni a *Luca de Linda* & aliis, ad Septentrionales populos etiam relati fuerunt, atque ex hac ratione ab improvidis facile etiam horrendum illum affectum, Scelotyrben, ut endemium pati præsumi possent. Ast, si fatendum hic, quod res est, ego Polonos ab hac, ut endemia affectione penitus eximendos esse censeo. Neque enim, quod ante omnia monendum, Sarmatæ ex famosa illa, uti a *Pomponio Mela* & aliis appellatur, vagina gentium Scandinavia ortum ducunt, utpote quos potiori fortassis jure, a Russis ac Scythis, & illis quidem, quos apud *Strabonem* ita appellatos invenimus, proxime autem Slavis originem traxisse credendum sit: * deinde autem omnibus, quibus hanc nationem frequentare atque intimius noscere contigit, constare potest, Scorbutum, communem & endemium morbum in vastis Sarmatiæ provinciis haud esse, multo minus meditullium ejus Warsaviam nostram inficere. Et si unquam inter Warsavienses visitur hic affectus, non certe ex communi, sed sua cuique & privata victus aut contagii etiam ratione contrahitur, quo

* Vid. *M. Cromerus de Orig. & Reb. Gest. Polon. Lib. I. cap. XI.*

quo nomine quidem in numero τῶν σποράδων, minime autem endemiorum recenseri potest. Neque aëris & alimentorum noxa, quæ ab *Olao Magno* l. a. uti causa procatarctica vel occasionalis allegatur, apud Warsavienses locum invenit, crudorum alimentorum puta, sale & fumo induratarum carnium quotidianus usus, neque aër ex effluviis marinis sale muriatico austero acri gravidus & humiditate squalidus, Polonis in genere familiaris est, sed Germanici & Suecici Oceani Balthicique sinus accolis & finitimis his saltem populis. Maneat igitur Islandiæ, Norvegiæ, Daniæ, Sueciæ, Hollandiæ, Selandiæ, Flandriæ, Brabantiæ, Westphaliæ, Pomeraniæ, Prussiæ &c. endemium malum Scorbutus, Poloniæ sufficiat Plicam pati, quæ cum Scorbuto quidem, uti jam monuimus, ratione symptomatum multum, in natura autem penitus nihil habet commune. Vidi quidem, quod non negandum, Warsaviæ etiam, plures, qui pruriginosa Purpura cum ventris lancinationibus ad lumbos & dorsum propagatis, Dyspnœa cum gravitate pectoris, Arthritide vaga cum paralytica membrorum resolutione, maculis in corpore lividis, Stomacace ipsa cum gingivarum cruentatione & corruptione laborarunt, ast sporadice saltem, nec tanta, uti apud maris accolas, vehementia: & si quæ integræ etiam familiæ miasmate hoc infectæ videantur, sicuti ego Illustrem quandam in Polonia familiam Stomacace & Purpura scorbutica laborantem ex generatione in generationem novi, ex contagio tamen, quatenus fortassis antecessores cum populis maritimis Suecis, Livonis, Danis &c. nuptias olim contraxerunt, eoque ipso scorbuti miasma & virulentiam in totam familiam induxerunt, hoc accidisse est verisimile, nullo modo autem hinc, ut endemium malum Scorbutus de Polonia prædicandus. Quapropter etiam nullam in sequenti *de Ingressu ad Infirmos Warsavienses Capite*, hujus morbi rationem me habuisse comperies.

Licet jam in antecedentibus, occaſione conſtitutionis aëris ventorum & tempeſtatum, de epidemicis affectibus aliquid propoſuerim, conſultum tamen erit, hic etiam, immediate poſt Endemios, aliquid *de Epidemicis Warſavienſium morbis* in ſpecie monere. Solent enim & Epidemici morbi a ſituatione aliisque circumſtantiis regionum & loci ſingulare quid nanciſci, quo vel mitiores vel graviores fiant incolis. Ita de Japonia ſcribit *Wilh. ten Rhyne diſſ. de Arthrit. in Not. p.* 92. quod Peſtem quidem ignorent Japones, Variolas autem valde timeant, cum ipſis ſint maxime contagioſæ, atque ſæva & multiplici hominum ſtrage illorum terras depopulentur, ut major etiam mortalium pars his in Japonia aliquando ſuccumbat, quam Peſte alibi, atque idcirco præ labis iſtius metu, parentes liberos, mariti uxores, & quæcunque ipſis dulcia ſunt vel ſanguinis vel thori pignora relinquunt. Unde Japones liberis dotati, ubi interrogantur, quot ſoboles alant? regerunt, totidem quot a Variolis jam laborarunt: reliquorum enim vitam in ancipiti locant, adeoque inter permanentem prolem non numerant. De urbium autem Epidemicis dum agendum, ſcopum noſtrum propius attingunt, quæ de Carpetanis annotata invenimus, quod ſcilicet Tertianæ & Quartanæ febres frequentius ac inclementius ipſos afficiant, (cum tamen alias univerſa regio una cum Metropoli, omnium conſenſu, aëris ſalubritate & præſertim aquarum bonitate emineat præ cæteris) adeo, ut Hiſpanorum Reges quondam, hanc cum Toleti urbe antiquiſſima Regia, non ſemel mutare permoti fuerint. *Confer. Fort. Fidelis de Relation. Medicorum.* Alii autem ex epidemicis, quod ante omnia notandum, manifeſtam vitæ perniciem ſecum gerunt, ut inſtar immanis feræ, uti loquitur *Galenus de Theriac. ad Piſon. c.* 16. integras domos, urbes, provincias depopulentur: alii periculo manifeſtiori ſunt exortes, late tamen vagantur, e. g. Catarrhi, Tuſſes, quæ Anno 1580. teſte *Foreſto* univerſam pene Europam pervagati ſunt, unde tamen vix milleſimus periit. Prouti autem

causæ communes epidemicorum ab omnibus fere autoribus in rebus non naturalibus dictis quæruntur & inveniuntur, frequentissime quidem in ipso aëre, aliquando etiam in alimentis, nonnunquam in animi affectibus, Warsavia tamen præ multis aliis Europæ civitatibus hoc habet singulare, quod epidemicis raro infestetur, &, si Pestem excipias, nunquam forte observata fuerit tam maligna Epidemia per Apoplexias, Petechiales, Variolas, Pleuritides, Dysenterias &c. uti in aliis civitatibus: ut hinc etiam possit cœli Warsaviensis sæpius laudata clementia & salubritas cognosci. Quis enim unquam audivit, quod Warsaviam infestaverint ejusmodi continuæ malignæ febres, quæ duas tertias incolarum e medio viventium sustulerint, prout Leidæ apud Batavos annis superioris seculi 69. & 70. notante *Sylvio*, accidit; aut quis unquam hic animadvertit Pleuritidem tam crudeliter grassantem, uti e. g. Venetiis Anno 1684. ex antecedente nivium & frigoris excessu, qua insignis per omnes Venetorum familias strages facta fuit, notante *Portio de Milit. Sanit. in Castr. tuenda:* aut Petechias & Apoplexiam, quæ frequentissime infestare audimus Florentiam, cum quavis Italiæ urbe alias de salubritate certantem: cum Parisiis quotannis Variolarum contagium magnam mortalitatem inferre; cum Londini ex Consumptione ac Phrenitide singulis annis ingentem incolarum numerum succumbere per relationes publicas accipimus, de Warsavia parcissime observatum fuit, epidemica mala mortuorum catalogum extraordinarie auxisse. Dysenteriam per totos fere viginti annos, non memini nisi unico Anno 1714. latius hic vagatam fuisse, faventibus tunc contagio, aëre cumprimis humidiori ac vento Austrino, qui eodem anno per tres menses fere continuos inusitato alias exemplo spirabat. Alimenta hic rarissime in censum causarum epidemicarum veniunt, & excessus quem aliqui in his, speciatim ardentium aquarum, usu faciunt, ad chronicos potius quam acutos disponit: animi autem pathemata pro temperamenti constitutione, minimè

me omnium contribuunt: nec timeas apud Warſavienſes multos ex curis & mœrore interire, ſicuti quondam Clariſſimus apud Lipſienſes Medicus *D. Auerbach* annotavit, per 48. annos, quos Praxin Medicam exercendo ibi conſumpſit, maximam civium ſui temporis partem ex ſolicitudine & curis fuiſſe extinctos, referente *Melch. Adami in Vita Spalatini*, p. 100. de Warſavienſibus enim meliori jure dicere cum *Seneca* poſſumus, pleroſque eorum morbos, voluptatum atque luxuriæ eſſe ſupplicia. De morbis epidemicis igitur vix aliquid notatu dignum & ſingulare in medium afferre poſſumus: omnes enim illi non adeo hic frequentes ſunt, & dum apparent, eodem modo atque in aliis locis ſe gerunt, febres Intermittentes, puta, Continuæ, Acutæ, Malignæ, Variolæ, Morbilli, Choleræ, Dyſenteriæ, Colici affectus, Rhevmatiſmi atque Catarrhi, Pleuritides & Peripnevmoniæ, Anginæ & Eryſipelata: de quibus ultimis ſatis mirari non poſſum *D. Connor in Deſcriptione Poloniæ Epiſtolarum forma* conſcripta, *Epiſtola penultima*, ſcribere, quamvis alieno calamo, quod Warſaviæ Eryſipelas ſit communiſſimum, & una cum Plica pro endemio malo fere habeatur. Sed ignoſcendum hoc cum aliis, quibus dictæ epiſtolæ itinerariæ ſcatent, erroribus, improvido autori, qui Poloniam, paucos aliquos menſes vix per tranſennam inſpiciens, de Regno toto & ejus Metropoli Commentarios edere non veritus fuit. Eryſipelas certe vix unquam frequentius obſervavi hic Warſaviæ, quam aliis in locis, præſertim inter Polonos, & fortaſſis bonus ille vir, Plicæ ſymptomata, quæ interdum etiam per phlegmones ſe manifeſtant, pro Roſa habuit. De Pleuritide notavi, utplurimum hanc per expectorationem, ſicuti aliis in locis, non judicari perfecte, ſed, dum maximum auxilium hic, prout in aliis plerique inflammationibus, in venæ ſectione poſitum ſit, hac tempeſtive inſtituta, & quod bene notandum, ter & amplius repetita, facile reſolutionem ſtagnationis ſanguinis & ſeri ſequi, ſine ulteriori expectoratione, diarrhœa aliquando etiam ſuperve-

perveniente, vel sudoribus effusis. Variolæ, periodis consuetis longe solent esse lentiores ac segniores, neque quinario facile absolvuntur dierum numero ter repetito, sed septenario potius, ita ut tres vel quatuor septimanæ, transeant communiter, antequam totaliter earum virus defervescat, ac de purgatione cogitare possit Medicus: febres Catarrhales utplurimum cum magnis sanguinis congestionibus ad pectus combinantur, quapropter & in his, V. S. sæpe sæpius locum invenit, secus atque aliis in locis.

Ultimo loco igitur *Pestem*, ut Epidemicorum principem, morbum vehementissimum, acutissimum, maxime malignum & contagiosum, præcipitanter ex uno populo plurimos invadentem, plerosque autem interficientem, in medium producere liceat, & hoc eo magis, quia eo ipso anno, quo Warsaviam primum vidi, 1710. Pestis adhuc dum affligebat, per repetitum ab Anno 1708. contagium, incolas. Solet enim & Pestis Warsaviam illa occasione devastare, quando, sicuti & alibi in Europa accidit, hæc per incuriam, vel singulare fatum & vindictam Divinam, ex Orientali Turciæ plaga, accersitur. Inveniuntur quidem inter illos, qui de causis pestiferæ luis commentarios composuerunt, nonnulli, qui non examinato debite hoc contagio, varias vel auras venenatas, vel tempestates, vel diluvia, vel bellorum calamitates in medium adducunt, quibus Pestem provocatam fuisse autumant. Ita contagium illud & luem, quæ A. C. 691, in Italia grassata fuit tam sæve, ut vix tertia hominum pars inde in vivis relicta fuerit, diluvio cuidam adscribunt, quale anno præcedente, ipsis Calend. Novembris Ligurum ac Venetorum provincias tam immaniter inundaverat, ut vix unquam a Noæ temporibus tale visum fuisse credant & referant Historici: non minus etiam curiosum an fabulosum dicam, est quod *Arnald. de Villanova Breviarii Lib. 4. cap. 32.* commemorat, in agro Neapolitano montem fuisse disruptum feracem serpentum & plenum monstrorum, unde halitus tam pestiferi exhalarunt, ut incolas

iſtius loci & regionis circumjacentis catervatim trucidaverint: & Anno 1502. in Brabantia, poſt adeo ferocem hyemem, ut & animalia bruta paſſim necaverit, æſtatem autem adeo ardoris ſævi, ut arbores ſolis radiis accenſæ conflagraverint, Peſtem ſubſecutam referunt adeo virulentam, ut in una civitate Bruxellenſi, quingentos ſubinde abſtulerit unica die, vid. *Follinus in Amulet. Anton. p.91.* Ita etiam *de Peſte Warſavienſi* ultima multi exiſtimarunt, ex belli calamitatibus, quas clades illa Saxonici exercitus ad *Pintſchoviam*, & aliæ ſequentes, poſt ſe traxerunt, hanc ortam, & paulatim, poſt aliquot annorum decurſum Warſaviam delatam fuiſſe. Et verum quidem eſt, ac plus quam omnibus notum, annonæ caritatem, ſqualores caſtrorum, & cadaverum poſt prælia, præſertim æſtivo tempore inſtituta, computreſcentium in aprico exhalationes, peſſimos & contagioſos poſt ſe trahere morbos, luem Hungaricam, Dyſenterias aliosque, qui ſub Caſtrenſium nomine noti ſunt omnibus. Quod autem vera Peſtis ex his cauſis & occaſione unquam orta fuerit in Europæ Chriſtianæ provinciis, nemo adhuc ſatis probavit. E contrario, cœlo, aëre, & aliis neceſſariis vel maxime faventibus, Peſtem tamen graſſatam fuiſſe, memoriæ proditum a pluribus. Ipſeque *Thucydides*, antiquiſſimus Autor de Peſte Græciæ vel Athenienſi, quæ major fuit, quam ut exprimi, & acerbior quam ut humana natura tolerari poſſet, cujusque ſimilem nunquam poſt Hippocratis tempora graſſatam fuiſſe, credidit *Avenzoar*, ſcribit, annum illum fuiſſe ab inſolitis tempeſtatibus, aliisque morbis immunem. Ita etiam referente *Corn. Tacito Lib. 15. Annal.* in Roma omne mortalium genus vi Peſtilentiæ expopulatum, nulla cœli intemperie, quantum occurreret oculis, obſervata. Et *Fernelius* in Peſte, quæ Anno 1633. & ſequ. Mediolanum, Veronam, Venetias, Patavium, aliasque in vicinia urbes graviter affligebat, nullum aëris vitium, quantum ſenſibus deprehendere licitum erat, extitiſſe refert *de abdit. Rer. cauſ. cap. 13.*

Firma

Firma igitur, jam a pluribus integris ſcriptis * probata manet ſententia, quod vera Peſtis non niſi ex Oriente ad nos deferatur. Et hac ratione & via etiam factum, ut peſtifera lues, per Turcicas merces Anno 1707. primo Leopolim deinde Cracoviam inficiens, ad finem Septembris totum fere Poloniæ regnum irrepſerit, & ſpeciatim, menſe Majo *Anni* 1708. Warſaviam etiam infeſtaverit, a quo tempore ad ultimum Octobris usque ejusdem anni, atque ita per breve ſemeſtre ſpatium, tanta ſævitia afflixit hanc Metropolim, ut plus quam viginti millia hominum ex eadem perierint. Communiter autem tertia, quinta & ſeptima die occiſi fuerunt contagio affecti; multi intra 24. horas etiam, quorum numerus una cum illis, qui ante tertiam occubuerunt, ad trecentos aſcendit. Et curioſum eſt, eodem anno, prima quidem menſis Julii, orto in ſuburbio, quod a Cracovia nomen habet magno & ingenti incendio, Peſtem, jam fere tunc ſilentem, adeo paulo poſt, furere cœpiſſe, ut maxima pars civium tunc brevi iterum ſublata fuerit; quod plebs imperita ignis virulentiæ, prudentiores autem terrori merito adſcripſerunt, qui fractos jam ex calamitate publica antecedente, animos denuo proſtravit, & contagio reſiſtere incapaciores reddidit, unde novas virus & contagium acquiſivit facile vires. Et hæc quidem ex aliorum, fide tamen dignorum, relatione refero. Vidi autem poſtea ipſe, dum Anno 1710. Warſaviam tranſiens, cum Aula Regia Mariæburgum & Gedanum diſcedere debui, inter noſtros etiam ex contagio idem malum, quod ultra viginti perſonas bubonibus, carbunculis, petechiis affectos e medio ſuſtulit. Primum enim in oppido illo, quod ante Gedanum Septentrionem verſus jacet, & Langenfurt appellatur, accidit, ut fœmina quædam aurigæ uxor, puerperio proxima, neceſſariis pro commodiori hujus celebratione deſtituta, Octobri menſe, dum

 frigu-

* *Vid. Kanold de Peſte.*

frigusculum jam observabatur autumnale, culcitras ex conclavi domus, ubi hospitium habebant, abstulerit, quibus ante annum Peste affecti quidam immortui fuerant; iisdem se tegens statim infirmari cœpit, altera die bubones super inguina animadvertens, paulo post fœtum quidem feliciter edidit, qui tamen una cum matre, & hæc quidem ingenti oborta uteri hæmorrhagia, lochiorum loco, succubuit, brevi post maritus eodem contagio prehensus, carbunculis simul & bubonibus affectus, periit, tracto deinde malo ad plures, ita ut separare infectos a sanis necessum nobis fuerit. Et hæc infectio ad Februarium usque durabat, sine insigniori tamen strage, quia Aulici per plures villas & pagos in Gedanensi & Olivensi agro erant dispersi, usque dum, sub Martii mensis initium, cessaret penitus. Ad quod & loci mutatio, dum in majorem Poloniam discedere jussi fuimus, maximum contribuit.

Ultimum tandem hujus Capitis locum occupent *Morbi* sic dicti *Dæmoniaci* vel per incantationem illati, quorum mentionem apud Warsavienses, proh dolor! nimis frequentem observabit, qui Clinicæ praxi vacare hic solet. Centies enim audivi Plica affectos, Hecticos, Phthisicos, Asciticos, Arthritide vaga, Lumbricis &c. laborantes, Veneficia & Dæmoniacas potentias accusavisse, dum *Urok, Czary* clamarunt & crepuerunt continuo, difficilioribus, chronicis ac rebellibus ejusmodi morbis affecti. Licet autem in universum non negem, posse omnino, permittente Divino Numine, plagas inferri hominibus, quæ nullam cum reliquis & hactenus notis habent connexionem vel analogiam, horrendis ac supranaturalibus modis affligentes miseros: quales afflictiones crudelissimis spasmis & convulsionibus maxime sunt conspicuæ; in quibus non modo eminentes alterationes & cruciatus, horridique ejulatus in corpore sint obvii, sed & in animo aliquando simul blasphemiæ, æmulationes vaticiniorum, prædictiones de absentibus, manifestationes occultorum, lingua-

rum

rum exoticarum insolitæ enunciationes &c. annotantur: id quod in dubium penitus vocare, Sacræ Scripturæ atque experientiæ aperte esset contradicere. Cavendum nihilominus tamen, stante etiam hoc, maximopere erit, ne diversas, confusas & truculentas ægritudines promiscue diaboli mortificinæ & potentiæ assignemus, adeo, ut vel diutius perseverantes, vel leviter intricatos morbos, incantationum & veneficii macula statim diffamemus. Sæpe sæpius enim morbi, qui aliis satis sunt perspicui, & naturalium causarum concursui & efficaciæ debentur, supranaturalibus cacodemonis viribus imputantur: siquidem non raro morbi sic dicti Archeales, ex firmis impressionibus, confusis ideis, tacitis iracundiis, timoribus, ærumnis &c. nati, nec non ægritudines complicatæ, corruptæ, malignæ, consuetudinales, hæreditariæ, retropulsæ, ex absconditis internis causis provocatæ, imo & præstigiis ac deceptionibus simulatæ & excitatæ, promiscue dæmoni imputantur, non a vulgo saltem, sed interdum & per ipsos oscitantes Medicos, ut hac occasione frequenter diabolus ignorantiæ asylum constituatur. Condonandum igitur esset Warsaviensibus nostris & Polonis in genere, si vehementiores spasmodicos e. g. & epilepticos affectus, diros & occultos etiam quandoque Plicæ furores, & alia mala aspectu horrenda, diabolicæ energiæ adscriberent: ast, si consuetos Hydropis, Hecticæ, Phthiseos, febrium chronicarum modos & symptomata, ab incantatione & veneficio statim deducunt, si Magnates quidam his afflicti in subditos suos ut magos & veneficos igne & rogo sæviunt, nullo modo excusanda erit crudelis credulitas, stupiditas & ignorantia. Ante aliquod tempus *Posnaniæ* Illustris quædam matrona decubuit prudens alias & satis modesta, quæ Hydropico affectu, tandem in Ascitem ex corruptione viscerum degenerante, diu ac variis modis excruciabatur: apud hanc dum nullæ curationes a Medicis prudentioribus atque expertis institutæ, malum tollere potuerint, tandem ab adulatoribus quibusdam in-

cantationes accusabantur, & levissimis in subsidium vocatis indiciis, plures ex subditis in captivitatem tanquam veneficii suspecti, abripiebantur, tredecim personis ex his etiam rogo impositis & combustis, donec tandem, dum una ad alteram suppostitiarum veneficarum ut criminis complices, ex desperatione sub tormentis provocaret, ipsa heræ famula, quæ diu ipsi fidelissime inservierat, & præcipue durante morbo continuo assederat, ad inquisitionem criminalem etiam traheretur: hanc dum dolio inclusam (ita enim cum veneficis in itinere conficiendo procedunt; quia circulis inclusos diabolum rapere non posse credunt ex hypothesi) ad jurisdictionem & terras ægrotantis deducunt, obviam factus Præpositus Ecclesiæ Parochialis Posnaniensis, Canonicus Gnesnensis, & alius Pater quidam Collegii S. J. Posnaniensis, de spectaculo ominoso sciscitantes & informati, personæ captivæ innocentiam autem bene noscentes, matronam ægrotantem adeunt, & processus crudelitatem explicantes, ab ipsa quidem facile, difficillime autem a domesticis adulatoribus obtinent, ut misera ab inquisitione & tormentis liberaretur. Ipse ante paucos annos hic Warsaviæ tractavi ex Magnatibus quendam, qui Phthisi consummata cum adeo fœtente pure, quod continuo per tussim eructabat, ut e longinquo abominabilis fœtor sentiretur, & totum fere palatium ubi decumbebat adimpleret, laborabat, & diu ante in Lithuania Grodnæ ex hoc affectu langvuerat; iste etiam, quia nullam opem ex medicamentis obtinere potuit, tandem ad veneficos subditos provocaverat, atque ex his præcipue ad illos, qui paulo ante morbum, (quem ex enormi asotia & potu vini & cremati sibi conciliaverat,) pedes ipsius pro more gentis, ut pœnas quasdam deprecarentur supplices, amplexi fuerant; ex quibus plures vinculis prius datos & tormentis variis pro confessione extorquenda mulctatos, unum post alterum vivicomburio e medio sustulit, affectu suo autem nec minimum inde levato: Warsavia enim discedens præ tædio curationis sustraneæ,

in ipſa via, ex puris fœtore fugientem & Hectica febre fatiſcentem efflavit animam. Et ejusmodi exempla per totam Poloniam occurrunt innumera, adeo, ut ſi rogi veſtigium alicubi invenies, credas miſeros veneficii, vel propter Epidemiam pecuariam, vel propter morbos incurabiles per incantationem dominis ſuis illatos, accuſatos & vivicomburio punitos fuiſſe eodem in loco. Mirandum autem quod non etiam cineribus combuſtorum pro medicina in deſperatis ſuis morbis utantur ſuperſtitioſi illi ac crudeles, ſicuti *in E. N. C. G. Dec. II. Ann. V. Obſerv.* 18. *item Ann. VIII. Obſerv.* 117. *& Ann. IX. Obſerv.* 105. *uti & Dec. III. Ann. VII. Obſerv.* 78. *in Schol.* legimus de ulceribus ex veneficio, cum cineribus combuſtæ ſagæ curatis. Res certe cum his inquiſitionibus eo progreſſa eſt, ut Epiſcopi, ſævitia dominorum & innocentum crudeli ſupplicio mori, mandata & commonitiones publicas edere coacti fuerint, ne diabolica ſuperſtitione occœcati tantam ſtragem in ſubditos & mancipia ſua perpetrare amplius audeant, prout tale mandatum & pium & prudentiſſimum nuperrime ab *Illuſtriſſimo Szembekio Epiſcopo Cujavienſi* publicatum, Autor *des Preuſſiſchen Toden-Tempels* in extenſo allegat; ad cujus lectionem curioſum lectorem ablegamus, ſimulque his de morbis Dæmoniacis relationibus, toti de morbis Warſaviæ capiti finem imponimus, binis ſaltem adhuc verbis crudelis etiam illius ſuperſtitionis mentionem facientes, qua creduli in Polonia ſeducti, ſævitiam etiam in cadavera aliquando exercere obſervantur, dum illos, qui de veneficio ex quocunque, leviſſimo etiam fundamento, ſuſpecti fuerunt, ſepultos quamvis, iterum effodiunt, & ne devoratione veſtium, Peſtem vel alia mala inducant, pala caput detruncare ſolent. Ad ſuſpicionem de veneficio autem ſola etiam ſufficiunt ſigna in corpore defunctorum per errorem naturæ conſpicua: ſi quis e. g. ex viris barba, vel ex fœminis pilis ſubalaribus aut in pudendis inveniatur deſtitutus, quos *Upierz & Strzia* nomine diſtinguere ſolent ab aliis. In

tali

tali ſtatu igitur exiſtentes, ſi a malevolis detegantur, certo certius, ne ſepulti etiam noceant malefici, decapitationem poſt mortem pati debent; curioſa eſt hiſtoria cujus *Hercules Saxonia*, ex relatione *D. Urſini Profeſſoris Zamoſcienſis*, nugatoris egregii, mentionem in *Tract. de Plica cap.* 11. facit, verbis ſequentibus: Anno 1572. Peſte per univerſam Poloniam graſſante, cum mulier quædam defuncta ex pago *Rzesna* dicto, in ſuburbium Leopolienſe advecta, ad ædem Exaltationis S. Cruc. ſepulta fuiſſet, ex iſto die Peſtis, maxime circa illud templum ſævire cœpit, unde qui ſepeliendorum mortuorum curam habebant, non temere ſuſpicati, villanam hanc aliquot ante dies ſepultam, fuiſſe maleficam, cadaver ejus refoderunt, quod cum nudum, & in ore reliquias devoratarum ſuarum veſtium habens, reperiiſſent, caput, ut moris eſt, pala præacuto ferro obducta abſciderunt, ex quo cum ſanies atrorubens effluxiſſet, iterum terra obruerunt, & ita Peſtis ceſſavit. Hæc mulier, ſi modo hiſtoria non ſubleſtæ eſſet fidei, ſine dubio, quod cum Peſte defunctis frequenter fieri ſolet, ſemiviva adhuc tumulo fuit illata, & præ fame veſtimenta devoravit, qualia horrenda ſatis exempla apud Autores, in ſpecie *Hildanum Obſerv. Chirurg. Cent. II. p.* 397. *G. H. Velſchium Epitagm. Cent. Obſerv.* 100. *p.* 68. & alios, invenimus annotata, ut autem inſanæ ſuperſtitioni ſatisfieret, duplex pati debuit inſons & miſera in corpore ſupplicium. Hanc vero in mortuos executionem non ſaltem propter Peſtis metum, ſed etiam propter morbos epidemice in familias vel vicinitatem graſſantes, vel quia ſepulti ſub ſpectrorum larva viventibus appareant, iisdemque plagis & terriculamentis ſint moleſti, ordinarie fere exercere ſolent delirantes quidam in Polonia judices.

Cap.

CAP. VI.

De Ingreſſu ad Infirmos Warſavienſes.

NOſtræ intentionis haud eſt neque hujus loci, conſuetas & multiplices Medicorum ærumnas & miſerias enumerare, quibus Therapiam & Clinicen exercentes cumulantur. Hoc ſaltem, dum methodum medendi morbis Warſavienſium accommodatam propono, ante oculos, ut vera Medici Clinici imago & ſpeculum, mihi verſatur, quod nuper, dum *Sennerti* Opera evolverem, de Italo quodam *D. Franciſco Miſtruccio*, dictæ Magni Germaniæ Medici perſonæ applicatum, *in literis Anno* 1628. *Codna Lithuaniæ ſcriptis, & relationem de morbo M. D. L. Vexilliferi Nicolai Sapieha continentibus*, inveni, dum *abs Te*, ſcribit, *Sennerte Præſtantiſſime* (*peto*) *quem ego inter denſiora difficiliorum morborum dumeta, ut ita dicam, tanquam in horto, fragrantiſſimam candidioris Medicinæ roſam florere video, & pro virili parte imprimis admiror*, & reliqua. An Celebratiſſimus ille Medicus *Sennertus*, facie & vultu adeo floridus fuerit, ut roſam colore repræſentaverit, certo ſcire non poſſum, hoc autem certiſſimum eſt, pauciſſimos Medicorum adeo florentem vultus præ ſe ferre formam, plurimos autem ex curis & Clinices calamitatibus continuis palleſcere potius & umbratiles fere fieri. Interim ex loco allegato hoc mihi valdopere placet, quod Italus ille occupationes Medicorum Practicas cum dumetis comparet, & optimum *Sennertum* ut Practicum in medio ipſorum collocet. Siquidem nemo facile ex rubis, Cynosbatis ac ſentibus compoſita dumeta tranſibit, quem ſpinæ & hamati ruborum aculei non pungant, lacerent, diſcerpant ac modis omnibus cruentisque notis fœde lædant ac vulnerent. Sufficienter declamatas ubique apud Medicos Clinicos, ſpeciatim *Mindererum in Threnodia Medica*,

& Höchsteterum in Dedicat. Part. II. Observatt. invenimus has calamitates, quæ non mediocres saltem Medicos, ac novos in arte tyrones exercere solent, ast nec veteranis & illis, qui prudentia arte & experientia inter alios eminent, parcunt. *Medicus non nisi quæ periculo sunt proxima intuetur, & quæ sunt ingrata contrectat, ac ex aliorum calamitatibus sibi dolorem conciliat* scribit *Hippocrates in princip. Libri de Flatib.* Dum enim Practicus quotidianas auscultare querelas, nil nisi morbosas spectare calamitates, inter lacrymas gemitusque omnium accedere agonizantes, obsecrationes atque implorationes immodicas, cum jam conclamata sint omnia, morbusque incurabilis nullam admittat curam, audire, imo culpam & contumelias, dum malum fuerit rebelle ac contumax, in se suscipere tenetur, quid inde aliud, quam conditionem longe pejorem illius, qui per vepreta, sentes ac rubos ambulans, discerpitur misere, pessimeque tractatur, subsumere licet? omnes enim hæ & similes molestiæ, animo æquo, nec a patientissimo facile tolerantur. Et hæc quidem in Praxi fere sunt ordinaria, ac nullo modo evitanda: duplicantur autem egregie atque augentur per accessoria, pestes præsertim ac labes civitatum, quæ sub Medicastrorum nomine ubivis plus solito notæ sunt, de quibus vere scripsit *Helmontius: deprehendi insuper omne nebulonum & meretricum genus, deceptores, Judæos & carnifices, ubi semel propria autoritate se intrusissent,* (in Medicam Artem,) *mox audendo graduatos fieri. In nullo enim majorem licentiam, temeritates ampliores, credulitates crudeliores, tenebras densiores, ac confusiones frequentiores offendi, quam in munerum nobilissimo, in quo cuique liberum est occidere, si homicidium subsidii pallio sit involutum, & occisus terra tegatur. in Tumul. Pest.* Nec putes ab eorum commercio Medicum genuinum unquam tutum esse. Dum enim re apud ægrotos desperata vel saltem etiam dubia, promittunt Medicastri meliora plenis buccis, atque ab aliis, allegatis miraculis quondam & alibi ab illis factis, obtruduntur, admittuntur facile, non inter plebejos saltem, sed apud Magnates etiam frequentissime. Quid enim aliud æger, & illi quibus

bus interest, vitam ipsius conservari, lubentius audiunt, quam certas de salute promissiones, quas ingenuus vir non nisi sub conditione dare potest? Sunt præterea non pauci in ea opinione, facillimum quid & fortuitum existere medendi artem, & quibusdam quasi per habitum infusum adesse, * atque adeo nihil impedire, quo minus indoctus quivis, rusticus etiam, opilio, sartor & sutor donum medendi possidere & charitatem Christianam exercere hoc pacto, queat: nec facile cogitant, quod *Scientia*, teste *Lactantio L. 3. cap. 3. Instit. ab ingenio venire non possit, nec cogitando comprehendi, quia in se ipso habere propriam scientiam, non hominis est, sed Dei. Mortalis autem natura non capit scientiam, nisi quæ venit extrinsecus.* Et ejusmodi Apollineæ artis opprobria, & humani generis pestes, dum palam vel clanculum introducuntur ab imperitis, genuinos ac vere doctos Medicos omni invidiæ, odii & calumniæ prosequuntur genere, adstantibus vel ægroto ipsi firmiter persuadentes, non rite ipsos tractari, viam minus rectam a Medico fuisse ad methodum ingressam, perituros fore, nisi tempestive revertantur, & panaceis suis utantur: sibi solis per revelationis vel infusionis speciem, medendi donum esse concessitum, Medicos autem Doctores ex libris curare, imo plures ex Medicis ordinariis vires in se habere naturæ contrarias, quibus occidere, juvare autem non liceat. Et ita summa malitia & dolo jactitant peritiam, auxiliumque promittunt certum, ut saltem lucrum captent bono titulo, cui continuo avidissime inhi-

* Ita Franciscus Vallesius Rex Galliæ dixit: Judæi illi sunt, qui naturali quapiam curandorum morborum habilitate pollent. Et cum febre diuturna laborans, nullum a Medicis ordinariis auxilium experiretur, Constantinopoli tandem accersivit Judæum, qui solo asinino lacte sanitati ipsum restituit, refer. *J. Huarto, in Scrutin. Ingen. p. 425. sqq.* Insontibus tamen uti puto Medicis, quia sine dubio Quartana fuit, illo tempore consuetis remediis non facile expugnanda, sed tempori relinquenda, pro finienda materiæ coctione, cui Judæus superveniens, sanationis gloriam retulit immerito.

inhiant. Interim moritur miser, Medicus autem ægrius quam agyrta a crimine commissionis excusatur aut absolvitur, quia statim a principio malum haud debite tractatum, naturæ vires per antecedentia destructas fuisse, susurrant nebulones, obtentoque furto, aufugiunt. Et has omnes difficultates, has spinas atque dumeta experiri etiam atque adire debet, quicunque Medicorum Warsaviæ Clinicen exercere satagit, eo autem magis, quo plures hic invenies ejusmodi farinæ homines idiotas, luxu, sceleribus alibi in Italia, Gallia, Germania perditos, qui, dum Warsaviam, ubi alias sentina omnium fere nationum confluit, veniunt, facile a sociis suscipiuntur, commendantur atque obtruduntur; quærunt enim Warsavienses æque ac alii, Athanasiæ arcanum, & statim ac novus quidam e longinquis regionibus accedit, dicunt: hui! quid si hic esset, qui communem hominum sortem, lethalitatem nobis eriperet, vel ad secula aliquot differret? Ordinarii nostri Medici hoc nesciunt, hic autem fortassis per inspirationem feliciora possidet talenta: tentandum: inter tot ac tantos promissores tamen aliquando unicus erit, qui vere curare, omnesque morbos profligare noverit. Interim ille omnem movet lapidem, ut rumores de felicitate sua per totam urbem spargat, non nisi Panaceas, aquilam albam, Chermes Minerale, Diaceltatesson, Driff, aliosque gryphes ac sphinges crepat, atque eo ipso curiositatem ac pruritum experiundi apud miseros auget. Quod si postea bis vel ter, Tertianam simplicem per corticem, addephagiam & crapulam per vomitorium vel poculum salutis curaverit, jam Medicus est sine pari, Apollo alter, & Æsculapius. Et hunc conservant, adorant, venerantur, donec manifestum commiserit homicidium, quo territi, abstinent in tantum, quantum ille malitiam & errorem crassum mendaciis excusare nescit, sin secus, post aliquod tempus iterum admittunt, & cædes cumulare per ignorantiam ac ruditatem facile patiuntur. Ne autem putes, probitate, prudentia & scientia te superare posse

hanc

hanc inter vulgum deſipientiam: nimium corrupti ſunt noſtri ſeculi mores: & quousque veram ſapientiam homines non erunt edocti, miſcebunt ſemper quadrata rotundis, nec genuinum Medicum a ſophiſta & blaterone diſtinguent facile. Nullus ex vulgo, licet valde ſtupidus, homini ſe committeret ignoto, qui naviculam nunquam ab una parte Viſtulæ ad alteram transvexit, ut Warſavia Gedanum, ſecundo licet fluvio, ipſum deducat, quamvis optime conſtructam navem monſtraret, iterque ſecurum promitteret; juſte enim metueret, ne, non obſtantibus illis promiſſis, fluvii ambages, ſyrtes ac ſabuleta minus noſceret, inque media deficeret via: aſt, quod omnem fidem ſuperat & mirandum, idiotæ, præſtigiatori, perditiſſimo nebuloni, qui oleum ab aceto vix diſtinguere novit, ſanitatem, vitam ac mortem concredunt infelices inſano ac plus quam temerario auſu.

Et hæc quidem acceſſoria illa ſunt atque externa, quæ Medico in ſuo ad infirmos ingreſſu remoram, ſpinas ac ſentes objicere ſolent: reſtant adhuc alia eaque plura, medendi artem & feliciores in Therapia ſucceſſus mirum quantum remorantia, quæ ad internam methodi conſtitutionem omnino ſpectant. De quibus ſpecialiora in ſequentibus: præliminariter autem hoc ante omnia ſciendum, idioſyncraſias eſſe, quæ crucem nobis figunt in Praxi quotidie, & non ſaltem in ipſa methodo, ſed in aliis etiam Medicinæ partibus, Phyſiologicis, Pathologicis, plus valent, quam vulgo quidem credi poteſt: quas ſi cognoſcere potuiſſet *Galenus*, arrogans alias, & multum ab Hippocrate modeſtia alienus, æqualem ſe Æſculapio cenſuiſſet, ut ipſe de ſe teſtatur, *in M. M. Lib.* 3. *p.* 67. *edit. Græcæ, Baſil.* 1538. *in fol.* Et jurarem, vix ullam Anthropologiam & Pathologiam hactenus publicatam, adeo eſſe perfectam, ut individualiter in Praxi applicari cum ſucceſſu aliquo poſſit: imo impoſſibile hoc, & quamdiu univerſum hoc ſubſiſtet ac homines erunt, non expectandum. Id quod vulgariſſimo hic experimento probabo, acutioribus profun-

 dio-

diorem comtemplationem atque explicationem rei relinquens. Annon verum eſt, inter myriades hominum vix duos occurrere, qui vultu, geſtibus, ſtatura atque ingreſſu ſibi inveniuntur pares eſſe? Quid autem putas interne in ipſis corporum penetralibus atque intimis receſſibus fieri? Quanta hic occurret in partibus ſolidis anomalia, quanta in humorum miſcela & craſi differentia, quanta in ſubtiliſſimo liquidorum, ætherea ſpirituum materia, difformitas? Alte adeo reconditum eſt rerum naturalium opificium, adeoque cæcutimus in iisdem nos homines, ut quantumlibet perſpicillis armati ſimus, quantumlibet aliorum experimentis adjuti, plura tamen, longe plura latere, quam patere, confitendum ſit. Tam exiles ſunt infimæ minutiæ in materia, ut hominis captum longè excedant, tam exiguæ etiam primariæ eæ concretiones, ex quibus corporum naturalium componitur ſtructura, ut omnium ſenſuum notationes penitus eludant. Sanguinis craſſius ſerum ex tam variis ac minutis conficitur corpuſculis, ut quæ ſit vera ejus conſtitutio, vel conjectura aſſequi nequeamus: Fluidum nervorum a perſpicaciſſimis oculis nondum exploratum: qualis denique ſit anima, in ſpecie inſectorum infima, nemo adhuc declarare potuit. His ac ſimilibus difficultatibus involuta eſt, fatente *Job. Tabor Anglo, in curioſiſſimis Exercitationibus Medicis nuperrime editis Introduct.* §. 8. *ſqq.* Pyſiologica ſcientia, primum in Medica arte fundamentum, cuique Pathologia cum Semiotica, Prognoſi ac Methodo Med. eſt ſuperſtructa; atque ex hac ipſa obſcuritate oriuntur allegatæ ſuperius infinitæ differentiæ ſub generali Idioſyncraſiarum nomine hactenus notæ. Et hinc eſt, quod prudentiſſimus etiam in morbis tractandis hæreat atque in prognoſi pariter ac methodo impingat, ſi propriis nimium confidat viribus, nec aſſiſtentem habeat divinam gratiam. Taceo divinas in morborum decurſu directiones, quas nec gentiles ignoraſſe, teſtis eſt ipſe *Hippocrates*, quibus concurrentibus fieri etiam frequenter ſolet, ut parva & leviſſima

mor-

morborum initia, difficillimum ſæpe atque læthalem nanciſcantur exitum. Id quod apud plebejos non minus atque magnates fieri obſervamus quotidie, quos ultimos, uti potentes, potenter etiam punire Deus vindex conſuevit: apud tales cave, ne vilipendas morbi leviora initia, aut præſentiſſimam opem, uti Thraſones Medicorum ſolent, promittas; dum enim vapulat juſta punitione ejusmodi ægrotans, ille qui imprudenter eripere ex diſciplina audet Medicus, ipſe plagas ſæpe patitur propter temeritatem: dum non placet dimittere tam cito delinquentem ex ergaſtulo, Divino Numini, æque ac apud parentes fit, qui dum liberorum petulantiam puniunt, non patiuntur facile, ut intempeſtivus intercedens juſtam vindictam interpellet. A Medico vero ac genuino igitur nemo prudens plus requiret, quam pius ut ſit, polito ingenio, acri judicio ſufficienti a teneris ac recta inſtitutione atque doctrina imbutus, præterea autem multiplici experientia inſtructus; talem ſi quis invenerit tuto ipſi concredere poteſt ſalutem, cætera divinæ providentiæ concedens, quæ & Medico & ipſi in re intricatiſſima & maximè dubia, tutam monſtrabit viam & felicem exitum. Et talem optamus etiam eſſe omnem, qui Warſaviæ Medicam exercere artem ſatagit; ſic enim multos ſentes ac rubos evadere & Medicaſtrorum inſultationes tandem ſuperare valiturum, ſpondemus.

Ut autem propius ad præfixum accedamus ſcopum, morbos illos hic repetemus pleroſque, quos in antecedenti capite hiſtorice ſaltem attigimus, & ſecundum ductum ibi obſervatum, quam poteſt fieri compendioſe commemorabimus, quid de ſingulis, quoad medendi methodum ſingulare obſervavimus in Praxi. Ut morbi temperamento incolarum proprii initium faciant *Catarrhi & Catarrhales febres*, quæ, ſicut ubique locorum, ita Warſaviæ etiam, utplurimum a ſuppreſſa transſpiratione inſenſibili atque externis cauſis originem ducunt, propter lautiorem victum & addephagiam

autem

autem hîc communiter congestiones sanguinis concurrentes habent, præter lymphæ exorbitationem & stasim. Ex quo fundamento in curatione apud plerosque venæsectiones tempestivas admittunt, imo urgenter expetunt, nisi Peripnevmoniis periculosissimis exponere ægrotantes velimus: interim ex Pharmacevtico fonte hic volatilia ex cornu cervi & succino parata, præsertim aquis destillatis diluta & syrupis pectoralibus edulcorata, officium faciunt, si cito resolvenda lymphæ coagulum & stasis: interdum autem & nimia cruditas & acrimonia Catarrhi temperantia cum incrassantibus anodynis requirit, ubi gummi-resinæ & arborum lacrymæ, sub Mastichis, olibani, succini nomine notæ, imo ex compositis, Electuar. Dia-scordii Fracastorii cum absorbent. mixtum, itemque MP. de Cynoglossa & Styrace proficua observantur.

Paralyses non adeo quidem frequentes Warsaviæ: nonnunquam tamen Borea diu flante atque humores coagulante, Februario mense præsertim, observavi: quibus in Plethoricis nunquam sanguinis missionem periculosam fuisse, sub primo statim insultu administratam, memini: quam tamen in affecta parte, ad mentem *Yvonis Gankes*, nullo modo administrare jussi, bene autem in opposita, & præmisso clystere, subjunctis statim etiam frictionibus, sinapismis, vesicatoriis, in parte affecta: lingua simul tacta, atque Aphonia concurrente, *Quintam Essentiam Corallıorum Stralenheimii*, Vratislaviensium arcanum, quod acidum est, per multiplicem & laboriosam cohobationem in Alcool subtilissimum & penetrantissimum redactum, ad aliquot guttas saccharo instillatum, & ori immissum, ita tamen ut obturato simul hoc & naribus, dissipatio ejus subitanea supprimatur in tantum, egregium inveni, utpote quod tali modo applicatum, per auram suam penetrantissimam, totum superiorem ventrem cum sensoriis velocissimo pervadit ictu: postea, si de antecedenti repletione constiterit, nec vomitoria Antimonialia

poten-

potentiora fuerunt omissa, quorum in locum, protracto diutius malo, Purgantia, præsertim ex resina Jalappæ soluta in spiritu convenienti & sale volatili quodam acuata, substituimus in largiori & efficaciori dosi, & hoc nunquam certe sine magno & evidenti quodam emolumento; quibus interpolata fuerunt viperina, succinata & castoreata cum aliis temperata, uti & cephalica & cordialia sic dicta: externe etiam vaporosa, & fomentationes ex plantis nervinis aromaticis cum vino coctis, injectis pro continuatione caloris necessarii vaporosi, candentibus silicibus, opem tulerunt, nec non linimenta, ast spirituosa maxime, ex Ol. formicarum, lumbricorum per deliquium cum axungia castorei, Ol. laurino expresso, addito alumine plumoso, pro meliori penetratione atque irritatione fibrillarum nervearum. Vidi tamen casus, ubi sepositis omnibus jam recensitis in curandis Paralyticis, remediis, cauterium actuale juvit applicare statim ab initio. Officialis quidam Bellicus, vir 45. annorum, qui a plus quam decem annis Cephalalgia laboraverat chronica sine omni remissione, cum Paralysi ex improviso dextri lateris prehensus fuerat, inurebatur bis in nucha, quo facto statim loquelam iterum recuperavit, remittente simul oris tortura, cum subsequente paulatim membrorum tactorum restitutione & motu pristino. Et ita quidem sentio, quod, si quis libertatem habet agendi pro lubitu apud ægrotantem, statimque ab initio adest, dum in fieri adhuc est Paralysis, & antequam penitus im membris figatur, neglectis omnibus aliis, venæsectione etiam & vomitorio, extemplo candente ferramento locum illum tangere debeat, repetitis vicibus, qui inter primam & secundam vertebram cervicis intercedit: ita enim dolore vivacissimo in loco hoc principio nervorum proximo, producto, prior a maligno halitu afflatus, unde convellitur dictum nervorum principium, protinus sedatur, consequenter in actum duci nequit ipsa nervorum obstructio & resolutio. Vera enim Paralysis speciem Apoplexiæ pro fundamento

mento habet, cujus formalem causam *Hippocrates* binis his verbis optime explicat, dum dicit: Ἐγκέφαλον σπᾶται. Discimus autem ex *Aretæi* vetusti Medici Pathologia, Apoplexiam, Peraplegiam, Paralysin, omnia genere eadem esse, vid *ejusd. Diuturn. Lib. I. cap. 7.* Unicum adhuc de *Paralysi*, antequam ad alia pergam, monendum duco, plebejos nimirum Warsaviæ, domestico quasi remedio, Paralytica membra cum massa ex semine sinapi & allio addito aceto parata, fricando tractare, cui illico post, suffitum ex sola Myrrha substituunt, & non pœnitendum auxilium, imo perfectam curationem, vulgari hoc medicamento diutius continuato, sæpius sibi conciliare solent.

Arthritides tractari securissime observavi, si ab initio solis præcipitantibus ostracodermatis, additis Antimonialibus & Salibus neutris cum cinnabari mixtis, phlogiston coërcere sategerim, quo facto interdum, præsertim si nulla potior febris obsisteret, cum resolventibus potentioribus sub potionis forma, ex Mixt. Simpl. Spir. C. C. volat. Essent. Anod. Lap. Cancror. Anti-Hect. Pot. cum Aquis st. & Acetos. Citri Syrupo paratis, tractavi ægrotos, & si diutius malum duraret, & per latentes typos decumbentes afficeret, ipsum corticem Peruvianum cum absorbentibus, dente Equi Mar. præsertim vel Lap. Manati, Antimon. diaphor. Martiali, Panacea Holsatica temperatum, opportuno tempore exhibui, abstinendo ab omnibus vomitoriis, purgantibus, quæ humores nimium commovent, per se jam satis exæstuantes: externe juvit justo tempore, ast non præcipitanter, Mixturam ex Aquis Articularibus, spirit. formicar. Lumbric. terr. Matrical. cum Camphor. & Essent. Balf. Peruv. applicare: apud alios autem, ardente nimium loco affecto, Emplastr. de Spermat. Ranar. secure, præmissis tamen internis, imposuimus, quod mire demulcere fibras nimis tensas præ inflammatione, in ficcioris præsertim naturæ subjectis, solet, nulla in recenti malo hinc emergente noxa: fuit etiam occasio, ubi apud

alios

alios fomentationes ex herbis in æqualibus vini & aquæ partibus coctis, & cum sacculis bene expressis, ne humiditate nimia alterationem pariant, suppeditare integrum fuit.

Arthriticis affectibus bene jam subordinamus *Rhevmatismos*, qui alias cum Arthritide, ast non nisi ab imperitis, confunduntur, siquidem a doctioribus non saltem per locum affectum, sed etiam per ipsam medendi methodum facile distinguuntur. Rhevmatismi enim non circa articulos, sed loca intermedia carnosa hærent, secus ac in Arthriticis fieri solet. Frequentius autem hic loci apud ditiores, & qui vinosæ diætæ indulgent, observantur, minus apud plebejos. Ubi hoc malum in Scorbutica subjecta cadit, non gravius saltem, sed & diutius ægros affligit: vidi tales, quibus ad sex amplius menses, imo ad annum fere integrum, insigni cum patientis & medentis tædio, molestia hæc devoranda fuit: alios alio modo ac breviori periodo, dum spatium illud unice, quod a scapulis ad os sacrum extenditur occupat, afficit, ast gravissime: quem affectum Lumbaginem Rhevmaticam expertissimus *Sydenhamius Sect. VI. cap. 5 Obs. Med.* appellare non dubitat. Et memini me hunc affectum Warsaviæ in Illustrissima quadam Matrona, sub tempus cessantis menstruationis per ætatem, vidisse & tractasse, quæ immanem dolorem eundemque fixum, à lumborum regione, ad os sacrum se demittentem experiebatur, in omnibus fere paroxysmum Nephriticum mentientem, nisi quod ægra non vomituriret: materia enim Rhevmatismi peccans & inflammata quasi, partes illas solas tunc urit, intacto reliquo corpore: in quo statu nec decumbere bene, nec erecta sedere poterat, & propter ingentem dolorem, vix minimum corporis motum admittebat. In hoc affectu venæsectionem, ad imminuendam febrim inflammatoriam, repetitam etiam, semper observavi proficuam, quamvis malum eo ipso non cesset; ast postea moderatis diaphoreticis, matutinis horis propinatis, insistendum, interpositis circa vesperam & pro nocte præcipitantibus cum

antimonialibus & nitro mixtis: Clyſteres ex lacte parati, linimenta paregorica affecto loco inuncta ad focum, ſuum etiam faciebant officium.

Nephritis & Iſchiaticum Malum hic loci nihil ſingulare involvunt quoad methodum: imo apud Warſavienſes non adeo frequentes ſunt, ut alibi locorum. Frequentiores autem *Intermittentes febres*, præſertim vernali tempore, & poſt ſtrenuum illud jejunium, a plerisque cum piſcibus ſalitis, fumo induratis ac lini oleo celebrandum: tunc enim plerique, vel durante adhuc jejunio, vel poſt Paſchatis feſtum, dum carnibus iterum ſe infarciunt, petaſonibus præſertim ac omnium farciminum genere, febribus infeſtantur, utplurimum quidem Tertianis, quæ non facile vomitoriis ſolis, aut ſalinis illis & Ammoniacalibus medicamentis curantur, ſed potius, poſt ſuperatos 4. vel 5. paroxyſmos, optime Peruviano compeſcuntur cortice: antequam autem ad hujus uſum deſcenderem, ſæpius ſub paroxyſmi declinatione, potiones cum præparatis diaphoreticis anodynis, inſigni cum ægri ſolatio & ſequentis paroxyſmi imminutione, exhibui. Propter craſſiores enim cruditates primis viis inhærentes, & flaccidiorem fibrarum & tunicarum ventriculi conſtitutionem, ſola præcipitantia puraque ſalina non ſufficiunt apud noſtros, nec niſi acriora aromatica, cum anodynis, qualia in El. Dia-Scordii & Theriaca inveniuntur, admiſceas, operæ quicquam facies pretium. Propter nexum, quem *Eryſipelas* cum morbis ſanguineo temperamento conſuetis habet, hujus hic mentionem facere congruum erit. Et quamvis adeo frequens hoc malum Warſaviæ haud ſit, uti in *Epiſtolis ſuis Itinerariis B. Connor* ſcribit, inveniuntur tamen inter noſtros, qui præter phlegma ſanguinem in craſi vivaciorem habent, quibus Eryſipelas infenſum eſt, & qui ex hoc, ſi incongrue tractetur, ſæpius in fœdas & rebelles exulcerationes partium incidunt, facta ſuppuratione, & hoc quidem, ſi in exterioribus ſubſiſtat malum; vidi autem alios, quibus caput, genas & faciem

occu-

occupabat, poſt admotam ceruſſam cum charta cœrulea, in Phrenitidem & Carum conjectos fuiſſe cum funeſto exitu. Sub principium igitur hujus mali tutiſſimum quidem eſt, diaphoretica bolaria abſorbentia cum fructuum inſpiſſatis ſuccis exhibere, ſiquidem ſolum Roob Sambuci cum cornu cervi, uſto vel Philoſ. præparato, vel Lap. Cancror. itemque Antimonio diaphor. hic inſtar omnium erit: apud nonnullos, tamen, ubi malignitas jungitur major, Theriacalia cum Aceto mixta propinavimus, atque externe non niſi fotum ex ſicca ſtupa cum farina ſecalina admiſimus, quibus facile & brevi malum ſuperatum vidimus, ſine alia ſubſequente noxa: in *capitis Eryſipelate* præterea, inflammatione valde urgente, nec venæſectionem omittere integrum fuit, qua adminiſtrata, utplurimum belle conquieviſſe turbas, & ab imminente angina ac phrenitide periculum, obſervavimus, qualem ex venæſectione in *Capitis Eryſipelate* utilitatem, a *Paulo Ægineta* jam, citante *Amato Luſitano Curat.* 8. *Cent. IV.* & *Thoma Bartholino in Ciſta Medic. p.* 366. celebratam, non ſine magna animi delectatione legiſſe memini. De cætero a nobili quadam matrona in Lithuania me audiviſſe recordor, illum, qui prima vice Eryſipelate afficitur, pomum Aurantium Sinenſe integrum ſub primo ſtatim morbi inſultu comedere debere, & ita nunquam illum, malum hoc amplius fore paſſurum.

Et hæc quidem de morbis, qui Warſavienſibus a temperamento, proprii eſſe conſueverunt. Cum his alii *morbi* quidam *aſcititii per luxum præſertim* & *aſotiam contracti*, connexionem habere obſervantur, quales ſunt *Hydrops*, *Cachexia*, *Icterus*, *Tabes*, *Phthiſis* &c. Et *Hydropem* quidem cum ſummo ipſius gradu *Cachexia*, ex viſcerum depravata conſtitutione orta, itemque *Tabem*, plurimi, uti ſuperius dictum, ex impotenti Cremati ingurgitatione & abuſu contrahunt, & his ab initio Anorexia ad alimenta ſolida, ut Cachexiæ prodromus, accidere ſolet utplurimum. Quicunque enim ſpirituoſis illis atque ardentibus aquis replentur nimium, illi tractu tem-

poris tantam fibrarum ſtomachi ἀναισθησίαν contrahunt, ut fermentum naturale pro orexi ordinaria, operari amplius non poſſit; inſuper autem & impatientiam quandam, ita ut vomitu laceſſentur frequentiſſime, matutino præſertim tempore, quo fœtens illud ex frumenti ſpiritu magma empyrevmaticum eructare ſolent cum magnis moleſtiis crapuloſi. Contra quam *Anorexiam & Vomitus matutinos* nihil æque potenter ab initio juvabit, quam bona doſis Theriacalis cujusdam compoſitionis, in ſpecie Electuarii Dia-Scordii Frac. cum abſorbentibus durioribus mixta, & veſperi ante decubitum deglutita: qui autem medicinam hanc nolunt vel negligunt, communiter poſt vomitus, debilitatem ventriculi per novam cremati ingurgitationem corrigere ſatagunt; *Hydropem* autem & totalem *Cachexiam* pauci, uti jam dictum, ex iſtis lurconibus effugiunt, licet etiam quidam in tali ſtatu, non ſine ſucceſſu, domeſtico experimento, herbam cum radice Chelidonii maj. cereviſiæ infuſam, in uſum trahant, quo remedio potenter urinas pellunt, & tantiſper ex inundatione ſeri in abdomie extravaſati, emergunt, donec gulæ indulgendo & aqualiculum iterum iterumque extendendo, denuo immedicabile malum invitent. *Icterus*, quem alii per ſimilem aſotiam, ex inflammatione atque induratione hepatis incurrunt, potiſſimum niger eſt, miſeros ad vitæ finem usque defœdans, nec facile, propter dictam jecoris labem, ullam medelam admittens. Omnium autem infeliciſſimi videntur eſſe illi, qui in *Tabem* incidunt: nam hæc utplurimum apud ebrioſos lurcones corruptionem pulmonum & hepatis interdum ſiccam pro fundamento habet, nec facile ad ulceroſam diatheſin pervenit ita, ut per purulentam expectorationem manifeſtetur, ſed plerique cum tuſſi ſicca contabeſcuut, & exſiccati intereunt. Nullus hic uſus adeo celebratæ curæ lactis, licet aſininum & humanum etiam pro ditioribus ſeligatur: nam hæc potiſſimum locum mihi habere videtur apud illos, qui ex ſola Catarrhali acredine ad pulmones, ut ſic dicam,

cam, depluente, Phthisin contrahunt, ventriculo aliisque visceribus principalioribus adhuc integris & salvis. Unica hæc methodus, apud nonnullos, qui opportuno adhuc tempore resipuerunt, & medicam efflagitarunt opem, mihi successit, si inflammationi & febri diligentem & ad aliquot septimanas continuatum absorbentium testaceorum tenuiorum cum nitratis depuratissimis, iisque largiori dosi admixtis, & Camphora animatis, usum opposuerim, tussi autem vehementiori atque Agrypniæ cum sudoribus colliquativis, ex Cynoglossa vel Styrace paratas pilulas paregoricas, non omissis, pro humectatione, vel decoctis vel infusis ex Amaricantibus præsertim & Pectoralibus paratis. Plebeji communiter primo vere germinantis Secalis expresso succo, alii mulso vel melle Lithuanico virgineo, Tabem hanc expugnare tentant, ast irrito utplurimum conatu, imo aliquando manifeste nocivo.

Transeo jam ad illorum vitiorum medelam, quæ *ab Aquis* impuris palustribus, partim etiam crudioribus fontanis, apud Warsavienses observari solent. Nolo autem hic repetere, quæ de *Colica ac Diarrhœa vel Lienteria* potius, advenas imprimis infestantibus, in præcedente capite adduxi, quia curationem eorum simul tunc attigi; & quod Intermittentes attinet, harum tractationem etiam superius inter morbos temperamento proprios, recensuimus. Plura restant de *Morbis, qui Aëris inclementiæ* superius adscripti fuerunt, proponenda, quos inter *Ophthalmia* præcipue est, quamvis advenas plus, quam cives ipsos & incolas hujus loci infestet. De illa autem loquor, quæ ex stagnatione & inflammatione humorum & membranarum vel tunicarum oculi oritur, ab externa aëris intemperie suscitata & fota. Plures enim ab interna causa ortæ dantur alias Ophthalmiæ, hac longe periculosiores, de quibus pauca sub finem hujus paragraphi etiam adjiciemus. Incredibile autem est, quanta in Ophthalmia humida seri copia per illacrymationes continuas cum inflammatione conjunctas

ctas effundatur, ita, ut ex metastasi quasi, multum seri & lymphæ per vias lacrymis dicatas, effluere videatur, quod alias per renes & alvum secerni solet. Humor autem hic per ductus pauciores quidem ex lacrymali glandula jam diu nota, per plures vero ex innominata *Stenonis* ad oculos derivatur, mediantibus a *Meibomio* descriptis pluribus, triginta communiter, rivulis. Sed præter humorem illum copiosissime effluentem, in tunica adnata cernitur etiam rubor, quin aliquando serpit labes ad reliquas oculi partes externas, ipsasque palpebras cum insigni dolore & inflammatione afficit. In tali quidem *Ophthalmia*, ubi inflammatio major concurrit, præeunte *Hildano Cent.* 4. *Obs.* 14. venæsectionem, licet non æque ut ipse proponit jugularium, aliis merito præmisimus remediis, non multum in vesicatoriis ponentes auxilii, ut insufficientis atque infidi in plerisque præsidii: deinde per Purgantia repetita egimus strenue, de quibus *Adr. Spigelius Anatom. Lib.* 7. *cap.* 2. notavit, cœcos etiam, a copioso alvi profluvio derepente exorto, visum subito recepisse; Diaphoretica illa clementiora, qualis cerussa Antimonii cum testaceis subtilioribus, addito momento nitri depurati, interne simul propinavimus, & pro meliori depuratione humorum, decocta lignorum tenuiora, diluendi potius, quam exsiccandi fine, bibere jussimus. Inter topica, vulgares illas mixturas Ophthalmicas, ex Bolaribus & Venereis compositas, convenientia observavimus, si modo ab acrioribus vel nimium arenosis abstinuerimus: communissimum autem nobis fuit, in Ophthalmica quadam aqua Tutiam præparatam cum Sief albo sine opio, addito momento Camphoræ, solvere, & tepide inflammato ac lippienti oculo applicare: diutius autem, & ad aliquot septimanas jam protracto malo, efficacissimum inveni simplicius quoddam remedium, epithema scil. ex corticibus Granatorum cum eorundem floribus, fructibus Cydonior. Rosarum, Cyani &c. floribus paratum cum aqua coctis, quibus interdum & medietatem vini rubri junxi,

junxi, apud alios & vitrioli albi tantillum cum terra vitrioli balſamica admiſcui. Hoc enim conſtanter expertus fui, *Ophthalmias diuturniores*, licet ſimplices, non niſi ſub finem applicatis adſtringentibus curari, quatenus vaſcula nimis per affluxum continuum relaxata, non iterum ad conſuetum ſuum tonum redire facile poſſunt, niſi debilitati & relaxationi hoc modo ſubveniamus. Aſt quam rebelle hoc ipſum ſit malum, propter continuum potiſſimum atque incredibilem humorum affluxum, aliquando inter alios, in Celſiſſimo quodam Principe vidi, cui licet, ad divertendum ſerum etiam decoctum lignorum cum purgantibus ex rad. Aſari, foliis Sennæ, Mercurio & Antimonio acuatum, propinatum fuerit, quod, etſi per tres vel quatuor ſeptimanas & ultra non ſaltem copioſas quotidie dejectiones feroſas per alvum, ſed &, finito jam decocti uſu, ſpeciem Coryzæ humidæ diu ſatis durantis produxerit, his omnibus tamen non obſtantibus, Ophthalmiam profligare cum acri lacrymarum effluxu haud potuit: ſed diu & per aliquot adhuc, finita cura, menſes, malum hoc moleſtiſſimum tolerandum fuit. Hæc de Ophthalmia communi & omnibus nimium nota: aliæ nobis non ſemel obvenerunt *Ophthalmiæ, quæ Venereæ dici poſſunt* commode. Accidit enim nonnullis ab impura Venere Gonorrhœam paſſis, ut, dum balſamicis & adſtringentibus fortioribus, malum curare ſatagunt, ſubito metaſtaſis fiat, exſiccato hoc fonte, humoris ferini ad oculos, ubi interiora oculi non ſaltem turbat & vehementius affligit idem, ſed inducta ſimul per totum bulbum inflammatione acerrima, excreſcentiam quandam circa corneam tranſparentem format, quæ, niſi cito per inciſionem chirurgicam auferatur, ſubito in ſuppurationem properat, atque ipſam corneam perforando, turbatis jam atque infectis ab intra humoribus, ad effuſionem totalem viam parat: ſolet autem tunc prius quidem per vulnuſculum illud materia Gonorrhœæ prorſus ſimilis excerni, ſequuntur tandem & aquoſus & cryſtallinus colliquati, &,

quod omnium pessimum atque irreparabile, ipse vitreus humor: nihil hic juvant venæsectiones, nihil purgationes, nihil Mercurialium & Panacearum decantatarum internus usus; nisi enim carnosa illa ac ferinæ indolis excrescentia auferatur, primis statim atque apparet diebus, perforatio sequitur corneæ tunicæ, humorumque effusio, sine ulla visum recuperandi spe. Unde ab omni tempore frequentes ex suppressa Gonorrhœa cœcitates observatæ fuere, nullumque remedium malo inventum, usque dum, uti Galli gloriantur, ante decennium & quod excurrit, *Dn. St. Yves, Celeberrimus apud Parisienses Ophthalmiater*, hoc malum penitius inspexit, atque unicum remedium in incisione & extirpatione carnosæ illius excrescentiæ invenit, pluribusque optato cum effectu applicavit. Et hunc affectum inter illos recensere libuit, quos ab aëris inclementia Warsaviæ foveri observamus, qui & hic in dicta metastasi multum conferre, dum ad stagnationem pertinaciorem disponere humores consuevit, deprehenditur: majorem autem cum aëris vitiis connexionem habent *Peripnevmonia & Pleuritis*, improvidos & qui corpus negligentius tegere solent, frequenter satis adorientes. De quibus in compendio fere omnia dixero, si venæsectionem in his curandis solito frequentius, ter, quater amplius, primis diebus institutam, omne ferre punctum monebo. Rarissime enim hic per solam expectorationem *Pleuritides* judicantur, & qui hanc solam expectat, ægrotos communiter sub febre vehementi, inflammatione, dolore & suffocatione expirare videbit. Et licet sanguis in his affectibus ex vena eductus, pellicula satis crassa, lardosa, tegitur communiter, quam pelliculam pro certissimo & unico signo repetendæ venæsectionis, venditare solent autores, & quidem hac conditione, ut tam diu repetitis vicibus sanguis extrahatur, donec naturali colore rutilans per totum observetur; reticendum tamen non est, aliquando, rarius tamen, sanguinem pellicula adeo alteratum ac defœdatum haud esse, sed rubellum etiam educi, talemque

que

que post refrigerationem permanere, qualis tamen, si symptomata vehementiora febris atque inflammationis urgebant, me a repetitione missionis sanguinis, minime absterruit. Valdeque gavisus sum, cum nuper in *Epistolis ad Schelhammerum scriptis a Scheffelio publicatis*, ex magni illius *Henr. Meibomii Medici vere docti atque experti* calamo proprio sequentia legerim verba: *in nullis unquam morbis felicior quam in acutis pectoris fui, vixque recordari possum eorum, qui Pleuritide aut Peripnevmonia sub manu mea obierint, nisi senes valde, aut Phthisici quodammodo fuerint. Id vero maximam partem recte institutæ venæsectioni tribuo & quidem largæ ac repetitæ, nec primis tantum diebus. Multi in his locis sub aliorum Medicorum timidorum & αἱμοφόβων cura periere, malignas esse Pleuritides & Peripnevmonias judicantium, cum ipsi sua culpa inflammationem ad eum pervenire gradum sinerent, ut deliria aliaque malignarum febrium symptomata sequerentur.* Hæc de venæsectionis *in Pleuritide & Peripnevmonia* utilitate: reliqua remedia in resolventibus specificis constabant, quæ inter sperma ceti eminet, præsertim cum diaphoreticis absorbentibus mixtum, dato simul pro potu ordinario, decocto hordei cum C. C florib. Bellid. Papav. Err. & sem. Anisi temperato, & calide maxime bibendo, in quo calido potu Pleuriticorum salus, & sine hoc pessima symptomata atque certus interitus, siquidem ab unico frigido haustu gelidam mortem secutam fuisse, non semel observavi. Et quamvis hæc omnia de ordinaria & benigna *Pleuritide* intellecta velim, non dubites tamen in ipsa etiam maligna eandem cum venæsectione methodum locum habere utplurimum, nisi quod præterea loco spermatis ceti & dictorum resolventium ex absorbentium genere, durius affligente inflammatione, nitrosa cum antimonialibus & camphora mixta proficua cumprimis observaverim: et vidi sæpius, re quasi desperata, si cum usu Pulveris Pannon, e. g. cum larga nitri dep. Lap. Prunellæ, Bezoartici mineralis & camphoræ dosi institerim, tamen tandem naturam vicisse; licet etiam diarrhœa, quæ tam horrenda merito videtur in *Pleuritide* esse omnibus, extrema minitasset, ubi mane data nitrata camphorata, subjun-

ſta pro nocte Bolaria diaphoretica cum El. Dia-Scord. Frac. mixta excepere, manifeſtiſſimum ægros lævamen ſenſiſſe: ac vidi tali methodo ex orci faucibus ereptos, quibus deliria, faucium & linguæ nigredo, agrypnia, febris intenſiſſima cum Purpura alba dictaque diarrhœa, jam ultima præſagiebant. Cum autem tantas laudes venæſectionis in *Pleuritide & Peripnevmonia* curandis hic fecerim, monendum ſimul etiam erit, quod eadem hæc, protracto diutius, neglecto & non bene tractato malo, atque in *Peripnevmonia illa, quam Sydenham notham* appellat, præſentiſſimum damnum inferre poſſit. Vidi exemplum ante paucos aliquot annos, in viro quodam conſiſtentis ætatis, natione Polono, hic menſe Februario anni 1723. iter ex Galliis ad nos faciens, in diverſorio quodam in via tres ſeptimanas ante quam advenerit, cum amicis mulſi ingurgitationi indulſerat, ita, ut pro ſua rata plus quam ollam unam cum dimidia, novem libras continente, abſumſerit, dormiens poſtea in hypocauſto paulo anguſtiori ac depreſſiori ſimul autem præter modum calefacto, ex quo ſummo mane ſe ſtatim, iter ſuum proſequens, gelu intenſiori expoſuit, ac febre, tusſi ac dolore ſuffocatorio pectoris non obſtante, Warſaviam usque continuavit: vocat tum Medicum, qui per aliquot dies, ſine mutatione in meliorem ſtatum, ipſum viſitans, adhuc alium accerſit in conſilium; ſtatus tum erat talis, ut partim ſedendo, partim in conclavi circumambulando, febricitaret cum nauſea, tusſi, utplurimum ſicca, aliquando tamen pituitoſa humida, ſanguine parum tincto ſputo, magna thoracis coarctatione, orthopnœa, ita, ut cubare in lecto commode non poſſet, genæ rubebant inſigniter cum oculis ſcintillantibus, urina flammea, pulſu celeri duro &c. in ſumma, omnia aderant ſigna febris inflammatoriæ Peripnevmonicæ: interrogatus de morbis antecedentibus & remediis aſſuetis, venæſectionem a ſe quotannis, præſervationis ergo, ab aliquo tempore, celebratam fuiſſe faſſus eſt: ordinabatur tunc Mixtura reſolvens diapnoica, cum ſpiritus Nitri dulcis

dulcis tantillo, & unanimi consilio proponebatur venæsectio: hac administrata ante meridiem, nulla symptomatum remissio, imo circa vesperam ejusdem diei omnia pejora, urgente orthopnœa, accedente delirio, & circa mediam noctem suffocatione, qua singulis momentis aucta, expirabat subito. Cujus morbi infelix atque inopinata catastrophe, inde mihi dependere videbatur, quod *Peripnevmonia* in hoc subjecto ab initio maxime neglecta, stafeos discussio fieri non potuerit, secuta ergo corruptio Gangrænosa, post tertium morbi septenarium, qua non bene perspecta, & venæsectione administrata, totalis secuta est spirituum dissipatio, Sphacelus, mors repentina: ita enim se habet, teste *Sydenhamio*, *Peripnevmonia notha*, ut genæ oculique rubeant, æger tussiat, cum urina intense rubra, anhelatione, dolore totius pectoris, & pulmonum coarctatione, febris indicia hic minora longe, quam in Peripnevmonia vera, unde & non obstante morbo acuto, iter suum prosequi noster potuit: & prout sanguinis missio in Peripnevmonia est remedium magni & recentis doloris, ita vetustioris vel supervacuum vel serum nimis & noxium, teste *Celso*: in tali enim casu, si tantillum sputi flavo-rubescentis appareat, nunquam imperato venæsectionem: sputum enim denuo supprimetur, & æger morietur certissime, monente *Baglivio Prax. Med Lib. I. cap.* 9.

Non minorem cum aëris constitutione *Apoplexia* habere observatur connexionem, ratione procatarcticæ causæ, quam potissimum in subitanea tempestatis gelidæ cum Aquilonari vento, in humidam Austrinam vel Occidentalem mutatione ponimus. Nam & ab *Hippocrate jam Sect. III. Aph.* 23. inter hyemales morbos recensita fuit Apoplexia; et *anni* 1709. hyeme vehementissima, apoplexiæ fuerunt per totam Europam frequentiores solito, notante *Gerbezio Cent. IV. Eph. Nat. Cur. Germ. Append. p.* 42. Quin ipse etiam *Illustr. L. Schröckius Cent. I. App. pag.* 6. earundem *Ephemer.* causam Apoplexiæ sub hyemis initium & finem, ventis Septentrionalibus adscri-

bere potiſſimum videtur: quod tamen cum latitudine aliqua explicandum eſſe arbitror, quatenus ejusmodi venti a ſubitaneis humidis Auſtrinis & Occidentalibus excipiuntur, qua ratione *Hippocrati* etiam *Sect. III. Aph.* 17. ſuus conſtabit honor, dum Auſtrinas tempeſtates corpora reſolvere, & capitis gravitates ac vertigines inducere aſſerit. Sed his controverſiis miſſis, paucis annotabimus, *Apoplexiam*, ut repentinum & acutiſſimum morbum, præſentiſſima requirere remedia, quæ inter primum & præcipuum recenſemus, venæſectionem; neque hic multum ſupereſt temporis perſcrutandi, ſanguinea an phlegmatica ſit Apoplexia, quamvis non neſciam Autores pleroſque urgere communiſſimum axioma: *Venæſectio ni juvet, occidit*, quod ultimum a venæſectione in illa evenire Apoplexia, quæ phlegmaticam conſtitutionem ferit, innuunt. Sed ego quidem audacter ſtatuere anſim, venæſectionem in omnibus veris Apoplecticis, qui antea gulæ indulſerunt & pancratice vixerunt, locum omnino habere, cujuscunque etiam temperamenti & conſtitutionis æger ſit. Nam ſi in cauſam proximam hujus morbi, quam præcipui Autores in effuſione ac ſtagnatione ſanguinis aut ſeri in cerebri ventriculis, corpus ſtriatum, nervorum principium cumprimis prementi collocant, ad methodum Med. applicemus, nullum unquam venæſectioni æquiparandum invenimus eſſe remedium, præſertim ſi proximiores cerebro jugulares venæ incidantur, quæ cum Plexu Choroidali totam ventriculorum cerebri concamerationem inveſtienti, continuantur: non excludimus Clyſteres acriores, venæſectioni, ſi tempus ſuppetit, præmittendos; quamvis ad validiora, pro ſcopo excitandi ægrotos, ſi hoc ab adſtantibus impetrari poteſt, deſcendendum potius remedia, & ferramenta ignita, cauteria actualia, capitis vertici vel plantis pedum applicanda, quibus mira nonnunquam in Apoplecticis & Epilepticis præſtita fuiſſe, ipſe vidi, conferente Symbolum ſuum *Lancisio de mortib. ſubitan. Lib.* 2. *cap.* 5. & recentiore adhuc *Do-*

minico

minico Mistichello Italo, qui in libro peculiari, quem sermone vernaculo de Apoplexia edidit, amplo ferro candente plantas pedum adurere jubet, & varia exempla per hanc methodum curatorum recenset. De vomitoriis quantum etiam ab autoribus de his prædicetur, singularem ac sensibilem effectum in Praxi mea, licet pluribus dederim, non vidi: quamvis in Apoplexia, quæ a meridie & post pastum ingruit, venæsectioni præferatur vomitorium, uti & in illa, quæ phlegmaticos & hos, qui antea serosis excretionibus obnoxii fuerunt, invadit, laudetur a nonnullis Autoribus Medicis. Quare in vera Apoplexia, post Clysmata & sanguinis missionem, statim ad volatilium nervinorumque usum transivimus, Liqu. C. C. Succ. cum Spiritu Ceras. Lavendul. maritatum in Aqua st. specifica solutum, parce ast sæpius ori infudimus, frictiones interim interponentes cum spirituosis fortioribus, interdum & Essentia Cantharidum animatis. Magnam utilitatem etiam a Purgantium fortiorum, resinæ Jalappæ præsertim, in spiritu appropriato solutæ, largiori dosi, observavi: ut verum tamen fatear, potius in illo statu, ubi ipse *Apoplecticus affectus in Paralysin* transire jam visus fuit, in quo casu, repetitis vicibus, & alternis diebus his exhibitis, mirum quantum paralyticæ membrorum impotentiæ detractum fuisse, gaudentes vidimus: *Vera* autem *Apoplexia velocissime, uti Jachinus* loquitur, *viget, & brevissimum imo imperceptibile habet principium atque augmentum, ita ut tota status esse videatur, & repetita ejusmodi purgantia non admittat.* De solutione *Apoplexiæ* vel *Paralysis* per febrim, in Praxi mea nullum vidi exemplum; & illi Autores, qui *Hippocratis* autoritatem vindicaturi, hanc observationem defendunt, eo ipso suspectos se de veritate rei reddunt, dum, qualis febris, quæ Apoplexiam solvere debet, sit species, ambigunt, quo de *Prosp. Martianus in Hippocr.* & post illum *Forestus* videri possunt. Eodem modo se res habet cum Ptyalismo, de quo apud *Dan. Sennertum L. I. Prax. Part.* 2. *cap.* 32. allegatum invenimus, nonnunquam Apoplexiam Phlegmatico

tico oris fluxu finiri. Vidi quidem *Paralyticos* lente febricitantes cum pulſu præſertim pleno & elatiori duro, caloreque interno aucto: vidi eosdem non per menſes ſed per annos integros, fœdo atque involuntario ſalivæ effluxu madentes, aſt ſine omni euphoria: de quibus tamen ita ſemper ſenſi, in tali caſu fortaſſis & per febrim & per ptyaliſmum ipſius Apoplexiæ recidivam præcaveri, quæ ſemel tactis communiter ſecunda, tertia amplius vice ictum repetendo, interitum certum alias minatur.

Et hæc de Apoplexia: tranſimus jam ad *Acutas, Putridas & Malignas febres*, quæ eo magis hic locum inveniunt, quo plus ex aëris depravata conſtitutione, aliquid ſibi in origine vindicant, uti in ſuperiori capite monuimus. Hic ſaltem paucis monemus, quod ſi ullo in loco, certe hic Warſaviæ de *Malignis* tractandis locum inveniat Practicorum regula: in *omni continua præmittenda eſſe Alexipharmaca efficaciora, ne malignitatis virulentia, ut anguis in herba ab initio latens, negligatur, atque ex improviſo poſtmodum, diebus præſertim criticis, febre ſupra febrim aucta, ad ſecretionem debitam natura haud perveniat*, ſed principium vitale potius ſupprimat cum exitu morbi funeſto. Reliquum totum tempus, usque ad declinationem, per Bezoartica Bolaria cum Antimonialibus, interdum Nitri tantillo admixto, itemque per diapnoica leniora, qualis M. S. & Tinct. Bezoart. Mich. agendum, ſtatim autem ac febris caput iterum extollit, ad Alexipharmaca recurrendum eſſe duximus, quæ interdum quotidie, interdum alternis diebus repetenda ſub Potionis forma potiſſimum, dum Elect. Dia-Scordii in Aqua quadam deſtillata ſolutum cum Pulv. Pannon. miſcuimus, addito Acetoſ. Citri Syrupo. Purgantia in *Malignis* hic ſemper periculoſisſima fuiſſe obſervavi, & ſtatim ac de malignitate per Epidemiam conſtabit Medico, abhis in totum abſtineat conſulo, alias natura in motu ſuo turbatur inſigniter, & inflammationes ex malignitate imminentes præcipitantur ad viſcera nobiliora, hepar præſertim, lie-

lienem, inteftina: *aufim dicere, multos craffe errare, cum in acutorum initio, five ante five poft venæfectionem, medicamenta præbent, etfi lenientia fic dicta faltem, ad purgandum, hoc enim alienum eft maxime a veterum Auctorum documentis*, notanter fcribit *Marf. Cagnatus de Urban febb. Cur. rat. p.* II. *feqv.* Nec vomitoria facile propinanda in his effe dixerim, quamvis minus quam purgantia catoterica periculum involvant, ita ut femper illud *Sydenhamii* præ oculis habendum fit monitum: *Vomitoria non nifi primis Malignarum initiis exhibenda funt; extra hoc tempus vero caufam multorum difficiliorum fymptomatum exhibent*, quod ipfius *Hippocratis* autoritate confirmatur, *Aphorifmo* 51. *Sect. II.* Longe autem aliter fe res habet cum venæfectione, cujus ufus ab initio non faltem haud adeo periculofus, fed etiam apud multos abfolute eft neceffarius. Non dicam, quod ex veterum obfervatione, fanguis in fynocho actutum miffus, morbum dictum factum jugulet, annotante *Nic. Tulpio in Monit. Medic.* 26. Sed, quod paradoxum, in ipfis *Malignis, Petechialibus* præfertim ac *Purpuratis*, fi morbus cadat in fubjectum vere plethoricum ac lautiori & vinofæ diætæ affuetum, nifi debita ac fufficienti venæfectione compefcuerim nimiam fanguinis ebullitionem & orgafmum, omnem excretionem, propter continuas in corpore turbas, impedientem, nullum ex morbo & malignitate emerfiffe facile vidi. Qua occafione recordor Illuftriffimæ Matronæ, in flore ætatis conftitutæ, & frequenter, præter ordinarium menfium fluxum, hæmorrhoidibus apertis obnoxiam, in qua, dum in *Malignam Petechialem* incidiffet, neglecta primis diebus propter Medicorum abfentiam, venæfectione, die fexto morbi apparebant quidem maculæ, aft ftatim, propter magnas in fanguine exæftuationes ac turbas, retrocedentes, & cum illo etiam tempore, quo difparebant, venæfectionem tolerare nollet ullo modo, omnibus Cardiacis, Bezoarticis, Alexipharmacis, aliisque appropriatis medicamentis non obftantibus, perpetua urgente agrypnia, fuavique delirio, fummaque inquietudine anxiofa

cum cordis oppreſſione ac palpitatione, die decima nona morbi fatis ceſſit. Et licet in hac pulſus, quem ſtatim ab initio morbi debilem fuiſſe obſervavi, venæſectionem contraindicare potuiſſet, plus tamen plethoræ ſtatum obſervandum, & propter illum ſolum, venæſectionem inſtituendam fuiſſe exiſtimo: Pulſus enim debilis in principio continuarum, raro a ſpirituum animalium defectu, plerumque vero ab eorundem ſuppreſſione oritur; hinc evacuationes ſanguinis omnino indicantur: in primo autem ejusmodi febrium principio inſtituendæ, optime monente *D. Strothero Anglo, in Crit. Febrium, Londin.* 1718. *edito.* Et ratione ſanguinis miſſionis ab initio in Malignis neglectæ, poſtliminio autem, diſparentibus ex improviſo petechiis, inſtituendæ, ex propria obſervatione, moneo, me *Anno* 1727. dum vernali tempore, *Malignæ Petechiales* inter Aulicos noſtros Warſaviæ graſſarentur, excluſis petechiis, ac ſubito iterum diſparentibus, cum ſumma inquietudine, cordis anxietatibus, ingruente delirio, ſtatim applicaſſe ſedibus hæmorrhoidalibus hirudines, quatuor, quinque numero, licet nullum unquam in vita paſſi fuiſſent antea ægrotantes hi hæmorrhoidum fluxum, tam laudabili ſucceſſu, ut poſtquam bene ſuxerint, & aliquot, ſex vel octo etiam ſanguinis uncias evacuaverint hæc inſecta, pleraque ſymptomata belle conquieverint, indies declinante malo, atque ægrotis ſic ex ipſis orci faucibus quaſi ereptis. De *Variolis* obſervavi, communem fere cum petechiis, aliisque Malignis hic tenendam eſſe methodum, niſi quod theriacalia, excepto Dia-Scordio cum abſorbentibus mixto, parciora, Bolaria autem diaphoretica frequentiora in his conveniant, interpoſitis, ſi ſymptomata indicant, volatilibus ſuccinatis &c. quæ potiſſimum eo tempore utiliſſima inveni, quando intra diem nonum & undecimum, tuſſis vehementior cum reſpiratione oppreſſa difficiliori, periculoſiſſima in variolis accidentia, urgerent, quo tempore ad drachmam integram & ultra datus Liq. C. C. Succin. in larga Aquæ apro-

propriatæ quantitate solutus & cum syrupo quodam pectorali edulcatus, omne tulit punctum, & imminentem catarrhum suffocativum quasi in momento dissipavit: reliqua medicamenta in & post statum morbi, ex Mixt. Simpl. vel Tinct. Bezoartica constabant, donec sub declinationem, Liquor de tribus cum Spir. Nitri dulci, vel idem cum Liqu. terr. fol. Tartari mixtus ac temperatus, vel duo hi alternative usurpati, ad reliquias miasmatis maligni acris variolarum per diuresin & diapnoën dissipandis, sufficerent. Unum autem ante omnia monendum, in *omnibus Variolis*, post totius morbi decursum, & postquam ægrotantes tantillum saltem virium iterum receperint, Purgantia leniora, interdum bis vel ter etiam repetita, non esse omittenda; alias certo certius in viscerum labes, infarctus & periculosas corruptiones, indeque ortas lentas febres præcipitabuntur miseri. Quo magis autem necessarius, superatis variolis Purgantium usus, eo periculosior idem hic ab initio, sicuti in plerisque fere malignis, propter turbatum excretionis negotium, & motum continuantis postmodum diarrhœæ. Quid, quod & in illis, quibus variolis nondum visis, præservative ordinantur, ægro adhuc orthostadio, purgantia, non semel observavi, si variolæ paulo post purgationem eruperint, diarrhœam inter ipsam macularum eruptionem secutam & continuatam fuisse, ingenti cum ægrotantis periculo, dum illis diebus, quibus natura excretioni per diaphoresin vacare deberet, diarrhœa fatisceret. Alia ex ratione & venæsectionem sub initio non universaliter probare possum, symbolum conferente *Sydenhamio*, ingenuo Observatore Practico, cujus verba *in Dissert. Epist. ad Gn. Cole p.* 420. *edit. Amstel. Ann.* 1683. omnino digna sunt, ut ab omnibus probe ponderentur: *Sancte assero*, inquit, *insignissimum fere omnium, quos mihi unquam videre contigit, e confluentium variolarum genere morbum, & qui ægram undecimo die jugulavit, juvenculæ supervenisse, ubi primum a Rhevmatismo usitata illa methodo copiosæ & iteratæ venæsectionis fuerat liberata. Atque hinc*

 mihi

mihi primum innotuit, Phlebotomiam, non perinde atque ego prius arbitrabar, variolis intra justos limites coërcendis conducere. Fortasſis autem ſcarificatio & hirudinum applicatio, a quibusdam ſub variolarum ingreſſum, commendata, non minorem merentur animadverſionem. Vidi ipſe in puella ſex vel ſeptem circiter annorum, Illuſtrisſimæ cujusdam in Polonia familiæ, quæ ob formoſitatem indolisque bonitatem & excellentiam, miraculum vere juventutis ſuo tempore repræſentabat, applicatas ex nimia curioſitate aut ſolicitudine potius, pro facie a variolis defendenda, hirudines duas, dorſo, in renum regione, non vocato in conſilium illo tempore Medico, tantam intuliſſe noxam, ut morte expianda eſſet intempeſtiva illa therapia: die enim morbi undecimo, cum optime, ratione eruptionis & incipientis ſuppurationis variolarum, procederent omnia, ex cicatricibus ab hirudinum morſu relictis, tanta oborta eſt hæmorrhagia, ut Quartam aut duas libras fere ſanguinis ſeroſi effunderent intra nycthemerum, ſequente immediate poſt corruptione tanta, ut defenſivis omnibus rite applicatis non obſtantibus, Sphacelus inde brevi corripuerit partem læſam, tanta cum vehementia, ut in momenta latius ſerperet putrefactio cutem & muſculos nigerrimo colore per totam dorſi medietatem afficiens: Variolis interim ſubſidentibus atque exareſcentibus, ægra autem miſerando & non ſatis dolendo ſpectaculo, inter ſuave delirium & convulſiones ſupervenientes expirante. Et licet hic præcipue ab illis, qui hirudinum uſum propoſuerant, neglectus earundem ſelectus, dum venenatas loco benignarum applicaverint, accuſaretur: quod in tantum quidem locum invenire poterat, quatenus inter hæc inſecta paluſtria adeo virulenta etiam inveniuntur interdum, ut inſtar *Sepis Indicæ* gangræna putreſcente tabefactum depaſcant corpus, antequam necant, uti *Boerhave in Præfat. ad Autor. Vet. de Lue Vener.* editos, loqui amat; hoc tamen ex triſtisſimo hoc caſu annotavi, nimiam in præſervatione a variolis ſolicitudinem, non fruſtra-

neam

neam saltem, sed utplurimum etiam esse funestam. Hæc de variolis; idem, quod tracta'ionem universalem attinet, observandum *in Cura Morbillorum*, in quibus pertinacior sub finem tussis, nullo felicius remedio, quam purgantibus repetitis cedet: de cætero, quo brevior est *Morbillorum* periodus, utpote qui septima vel nona die judicantur perfecte utplurimum, eo etiam compendiosior meth. medendi, in qua præter diaphoretica bolaria, & Bezoartica acidulata, nihil fere in usum venit: Maligniores excipio, quales aliquando dari, vel ex eo facile patet, quod a quibusdam *parva Pestis*, *Morbillorum Epidemia* fuerit appellata.

Ex his epidemicis morbis restat nobis, ut de *Dysenteria* curanda, aliqua adhuc memoremus: vidi enim hanc etiam, non quidem tam populariter ac late, ut alibi locorum, satis tamen maligne, inter incolas Warsavienses interdum grassantem, uti in historia hujus morbi in antecedenti capite dictum: & universalia quidem remedia quod spectat, memini & ipsam venæsectionem ab initio morbi, in hac ad compescendam gliscentem in visceribus inflammationem, fuisse necessariam, præsertim in singulari epidemia, qualis illa fuit Lithuanica Grodnensis, de qua ante hos duodecim annos observationes *Ephemeridibus Nat. Curios. German.* inserui. Rarius locum habuisse vomitoria observavi, quæcunque etiam de Ipecacuanha, ut specifico, prædicentur, licet & ipse hanc sub principio, in usum traxerim, neque tamen unquam exacte effectus respondere promissis mihi visus est, quamvis etiam ter quaterve repetiverim ejusdem usum: rarissime autem purgantia secure & cum successu exoptato exhibentur: & miror etiam, Rhabarbari usum, a plerisque fere autoribus, quasi primarium pro auspicanda Dysenteriæ cura, medicamentum proponi; quod in Diarrhœa simplici tostum, medentis intentioni frequenter satisfacere quidem existimo, dum materiam stimulantem, expellendo, adstringentis aliquid & balsamici post se relinquit, intestinorum atoniæ ita subveniens; in vera

Dysenteria autem, neque crudum neque tostum, licet etiam primo statim morbi initio datum, operæ pretium fecisse recordor, & quoties illud dedi, aut alios dedisse vidi, ut plurimum nunquam datum fuisse optavi merito: dolores enim, inflammationes ac dejectiones semper exinde auctos atque exacerbatos fuisse, summo cum meo tædio, comperi, apud alios etiam exitu morbi penitus funesto, ita, ut suo adhuc firmiter stet talo, veterum Medicorum axioma practicum: *Evacuationem nunquam, vel raro, faciendam esse per partem affectam*; imo apud *Lentilium in Jatromnematis* legisse me memini, *Medicos qui Pleuriticis ac Dysentericis laxantia exhibent, Lege Aquilia teneri.* In tutiori ac frequentiori mihi semper usu fuere, post datum in robustis ac superflue nutritis, ex Ipecacuanha, lene Emeticum, sola bolaria cum balsamicis adstringentibus & opiatis mixta, non omissis diaphoreticis appropriatis liquidis, Tinct. Bezoart. Mich. cum Essent. Theriacali roborata specifice. Neque reticere possum insignem clysterum demulcentium usum, qui si statim ab initio ac tormina apparent, ex lacte cum sevo hircino & Terebinth. vitell. ovor. subacta, vel ex solo jure capitis vervecini, applicentur ac continuentur frequentius, incredibilem exserunt efficaciam, majorem autem adhuc, si simul atque eodem tempore, sacculi ex foliis quercus, furfure, florib. Chamomillæ, Verbenæ, in aceto cocti, calide ventri simul & orificio inferiori imponuntur. Et cum sub finem præsertim morbi, tenesmus miseros fatiget, morbumque protrahat diutius, nihil fere præstantius contra hunc, quam vapores ex balsamicis roborantibus, thure, mastiche, succino cum capite mortuo terebinthinæ, me invenisse, gloriari possum: præterea per totum morbi decursum a cerevisia, omnibus fermentativis atque inflammantibus potibus abstinere jussimus ægros, & pro potu ordinario decoctum hordei, cum C. C. & Cinnamomo, vel cassia Caryophyll. & lignea, ordinavimus.

Jam restat, antequam Epidemicarum tractationem relinquam, ut *Pestis* etiam, summi ex Epidemicis morbi, medendi methodum paucis attingam, siquidem & hanc inter Warsavienses Anno 1711. vidi, plenius autem, prout superius jam monitum, cognovi postmodum Gedani eodem anno, inter nostros dum *Gedanensis Pestis* reliquiæ grassarentur. Parum autem abest, quin statuam, Medici operam minimum hic vel nihil penitus efficere, ac mortem a virulentissimo hoc contagio vix ullum effugere, nisi robusta & valens natura, suis usa viribus, naviter per abscessus purget. Cum tamen singulares unius alteriusve remedii vires & hic observaverim, non possum quin paucissimis saltem ejus mentionem faciam. Et de generalibus quidem, quæ in venæsectione ac purgatione consistunt, remediis ante omnia moneo, hæc ipsa vix ullum hic invenire locum: satisque mirari nequeo, solertissimum *Sydenhamium in Praxeos Vol. I. pag.* 234. Phlebotomiam larga manu ac repetitis vicibus ab initio celebratam, tantis efferre laudibus, ut *in Londinensi Peste* post sexagesimum seculi præteriti annum, grassante, nemini hanc funestam fuisse asserat. Et quamvis sanguineam ac ferventiorem corporum Anglicæ nationis constitutionem, exceptionem a regula facere, facile admittam, vix tamen persuadere mihi possum, morbum illum inter præsidiarios milites, in quodam Angliæ loco, cujus l. a. meminit, qui cum macularum efflorescentia grassatus fuit, & ægros derepente jugulavit, veram fuisse Pestem, sed febrim forte ex acutissimarum genere, ita autem de hoc affectu ejusque curatione scribit: *Chirurgus quidam singulis ægris, statim a primo morbi insultu, atque nullo adhuc tumore conspicuo, sanguinem ingenti copia detraxit, donec pedibus deficere inciperent. Et quanquam a phlebotomia, nullum omnino remedium adhibuit, tamen ex complurimis, quos hoc modo tractavit, nec unus quidem desideratus est.* Apud Warsavienses, quantum ex relatione Medicorum eo tempore praxin exercentium, habeo, nec unicus *Peste* affectorum, per venæsectionem liberatus fuit, cum alias

alias in plerisque aliis morbis ſanguinis miſſio, apud illos adeo obſervetur proficua. Nihil etiam de Purgantium uſu in *Peſte* afferre poſſum, licet quidam fuerint ex Loimographis, & recentiſſime quidem ex Gedanenſibus, *Manaſſe Stöckel*, qui plenis buccis uſum Salis Vitrioli vomitorium extollunt. Communiter enim multi Peſte affecti vomitibus exagitantur enormiter, a malignitate ventriculi tunicas per carbunculi ſpeciem irritante; quis autem tali in ſtatu, naturam in errore ſuo adhuc juvaret, aut virus illud per Emeticum evacuare ſatageret? Longe tutiora & efficaciora ſunt diaphoretica anodyna, & veriſſimum eſt *Rolfinccii Jenenſis* effatum, *eum* ſc. *qui Peſte correptis ſpatio* 24. *horarum, quater vel ſæpius ſudorem non excitat, parum eſſe profuturum:* quæ multiplici experientia & obſervatione corroborat etiam *Giſelerus in Obſervatt. de Peſte Brunſvic.* dum omnia Alexiteria, poſt 24. horas oblata, inefficacia fuiſſe meminit. Specifice autem hic Theriacalia, aſt nunquam ſine aceto propinata, ſunt laudanda, & quidem largiori, duplicata vel triplicata doſi, exhibita: veriſſimumque ſub hac conditione, expertus ſum *Ol. Borrichii* monitum, ſcribentis: *mihi nihil ſecurius obſervatum in Peſte ſola Theriaca, ſed liberalius, non improvide tamen propinata: plures enecti, qui drachmam hauſerant, etiam ſubinde drachmæ geminæ nihil attulerunt opis, eoque in adultis nonnunquam ad tres aſcendendum fuit, non ſine periculo, minus tamen quam malum ipſum periculoſo.* Carbunculorum & bubonum tractationem, experti Chirurgi manus, ſi morbus vehementiſſimus has inducias dat, facile curabit: hos enim emollientibus cataplaſmatis, illos autem pro mortificandi ſcopo, ipſo Antimonii butyro tractatos fuiſſe cum ſucceſſu memini. Sub finem autem hujus diſcurſus hoc unicum repeto, *Veram Peſtem* æque ac veram Apoplexiam inter morbos a me referri incurabiles, quia propter violentiam virulentiſſimi contagii, ſpatium deliberandi & debito modo medendi vix detur ullum. Particulæ enim νοσηρὰι in *Peſte* ita ſupra modum ſubtiles ſunt atque aculeatæ, ut ita dicam, ut auræ ad inſtar ſanguinem

guinem pervadant, ac sideratis quasi ejus spiritibus, nec in ebullitionem quidem illum attollant, unde æger sæpissime sine febre perit.

Unicum nobis in hoc de ingressu ad infirmos Warsavienses capite producendum restat, *Endemii Mali*, *Plicæ* puta, *Medendi Methodus*. Et cum in antecedenti Sectione prolixam satis dederimus monstrosi hujus mali historiam, paucissimis curationem hujus repetere hic licebit. Neque autem quis putet adæquatum & specificum remedium hactenus morbo huic esse inventum: quo plures enim sunt de caussis Plicæ inter autores varietates ac disceptationes, eo majores etiam in therapia difficultates emergunt: præsertim cum multi de Plica scripserint, curationemque ejus proposuerint, qui ipsum affectum vel penitus non, vel superficialiter saltem, nec penitius uti decet inspexerunt atque examinarunt. Mihi igitur in tanta obscuritate affectus integrum erit brevibus communicare, quæ pro compescendo *miasmate Trichode* aliquoties una cum aliis proficua inveni remedia præ cæteris: notanter autem *pro compescendo malo*, dico; radicalem enim curationem *Plicæ*, præsertim in his, quibus hæreditaria est, nemo prudens promittet. Consistit autem vera & unica medela in hoc, ut actus secretorius & excretorius, quantum fieri potest, procuretur, continuetur, ac si turbatus fuerit unquam, quantum licebit, restituatur. Inquinamentum enim hoc fermentescentis indolis, minime alterari, sed unice per *Trichiasis* speciem secerni atque excerni debet ac potest, commode, secundum ipsius naturæ operantis ductum. Cave igitur credas, aut vomitoria aut purgantia hic quicquam valere; de qubus, Emeticis in specie, miror unum ex novissimis de Plica scriptoribus, qui historiam ejus ac therapiam in Academia Hafniensi nuperrime schediasmate inaugurali quodam proposuit, in his omnem locare pro expellenda *Plica* spem, de cætero humorum impuritatem specificam nitratis, antimonialibus & absorbentibus tolli posse persuasus: nihil enim

minus huic affectui convenit, quam Purgantia fortiora exhibere, utpote quibus communiter totum secretionis negotium turbatum fuisse, cum peccantis humoris retrocessione, non semel observavi. Sicuti etiam de omnibus evacuantibus in genere tenendum, hæc Plicæ nostræ maxime esse infensa, quo venæsectionem cumprimis etiam intelligo, post cujus administrationem improvidam, funestum utplurimum observavi eventum. Omnia igitur quæ in Plica curanda cum ratione agimus, maximam partem effectum & consectaria *Plicæ* in corpore humano, vix ac ne vix quidem ipsum fermentificum miasma concernunt. Ita e. g. bene disponimus in latente adhuc malo, organum secretionis adæquatum, caput & crines puta, ad expellendam materiam noxiam, per emollientia & abstergentia, inter quæ unicum fere præ omnibus aliis appropriatum & securum, vegetabile regnum nobis suppedidat, remedium Lycopodium, cujus ex aqua vel cerevisia paratum simplicissimum decoctum, capiti bis vel ter de die calidum, vel tepidum potius applicatur mediantibus linteis hoc ipso imbutis: fotu enim hoc dolores ac spasmi sopiuntur, cutis rigida & arida emollitur, pori ac meatus obstructi & constricti reserantur. Quæ autem de Brancæ Ursinæ viribus in Plica curanda, unus Autorum exscripsit ex altero, nullum in experientia videtur habere fundamentum, & nunquam ex Polonis de hoc remedio in usum tracto quicquam comperire potui. Primus fortassis fuit *Sennertus*, *qui loco de Barscz Polonorum superius in capite de Victu Warsaviens. allegato*, errori dedit occasionem, ex quo postea *Kergerus in tract. de Ferment. Sect. III. cap.* I. *Bernitius*, *Sim. Schulzius & Hagendorn in Ephem. N. C. G.* repetierunt, quæ in Observationibus suis de *Plica* curanda, publicare non dubitant. In specie autem *Bernhard. Bernitius*, qui in Aula Joh. Casimiri Regis, Chirurgum primo & postea Medicum egit, multa prædicavit de hujus Brancæ cum Lycopodio junctæ usu, in dictis *Ephemerid. Dec. I. Ann.* 2. *Obs.* 52. *in Schol.* Ast ego valde metuo, ne communem cum aliis erraverit errorem Brancam

cam Ursinam cum Lycopodio confundentibus: Lycopodium enim a Germanis vocatur, præter alia synonyma, *Bärlap* quasi dicas pes vel branca ursina, qua occasione multi decepti Lycopodium cum Sphondylio confuderunt, & vires quæ recte Lycopodio tribuuntur per experientiam, eidem Sphondylio etiam tribuerunt. Ipsum autem *Bernitium* ad committendum talem errorem valde fuisse præ cæteris habilem, vel ex hoc constare potest, quod literis humanioribus ac Medicinæ fundamentis nunquam fuerit instructus: Chirurgus enim professione fuit simplex, literarum penitus ignarus, & quas ad Collegium N. C. G. misit Observationes, non ipse, sed alii Latinitate donarunt, quod & de *Catalogo Plantarum Warsaviensium* suo tenendum, in quem innumera, ex ignorantia Latinitatis & Botanices irrepserunt vitia. Hæc de externis: corrupti autem per *Plicam* in corpore humores corriguntur optime per Diaphoretica potentiora, junctis in specie volatilibus Succinatis ac Viperinis, simulque per insensibilem transpirationem ita expurgantur commode. Tutissimum pro hoc scopo semper inveni usum pulveris ex Lumbricis terrestribus, Millepedibus, Cinnabari, Bezoartico Minerali & sale Viperarum volatili, vespertino præsertim tempore propinandi, quibus sub auroram sequentem subordinavi dosin convenientem Tincturæ Metallor. Succinatæ &c. quibus sævos a latente Plica dolores paruisse, non semel observavi, continuato autem, quod palmarium, eorundem usu ad aliquot septimanas. Quamvis non reticendum in graviori & obstinatiori malo ad validiora esse descendendum, præserrim ubi post purgationes vehementiores & alia incongrua, valde turbatum fuerit excretionis negotium, sequentibus hinc vel Asthmate & Suffocationibus, vel colicis doloribus immensis, vel aliis dirioribus symptomatis: quo in casu Theriacalia Scordiata cum absorbentibus diaphoreticis & Antimonialibus potentioribus mixta, omne punctum tulisse memini; imperatum, durante usu horum medicamentorum utplurimum

 simul

ſimul fuit Decoctum ex rad. Sarſaparillæ Lig. Gnayac. Hermodactyl. & aliis ſic dictis ſanguinem depurantibus: & ſpecialiter quidem in Sarſaparilla præcipuum pro depuratione ſanguinis ab heterogeneis a *Plicæ* miaſmate infectis humoribus medicamentum latere experti ſumus, & qui *Plicam* frequentius tractarunt, fatentur omnes: ſi quid enim oleoſi & pinguis rancidioris in ejusmodi peccaret humoribus, per hujus radicis uſum abſtergetur commodiſſime, de qua per experimenta inſtituta conſtat, ſuperficialiter ſaltem calida aqua lotam, adeo mollem ac ſpumantem, manus æque ac ſi ſapone tergerentur, polientem ſuppeditare liquorem. Inter compoſita *Pulverem contra Strumas Auguſtanorum*, pro frequentiori quam hactenus factum fuit uſu, commendamus Practicis, utpote ex quo magnam utilitatem ſemper obſervarunt Medici nonnulli in Pruſſia Praxin exercentes. Ex illis, quibus vulgus apud Polonos *Plicæ* malum expellere ſatagit, ut vehementius ac crudius remedium, applicatum etiam fuiſſe memini, Erinacei pinguedinem, quam ſuppreſſionis igne parare ſequenti modo norunt etiam plebeji: duas accipiunt ollas novas, quarum alteram terræ infigunt vacuam, alteri in fundo perforatæ, erinaceum viventem includunt, ſuppeditato poſtea igne carbonum candentium, quo totam ollam operiunt, & ita erinaceo per ignem ſuppreſſionis concremato, ex altera ollula exſtillatam pinguedinem colligunt empyrevmaticam ac de ſale volatili urinoſo tantillum participantem, quam deinde ſtatim ad aliquot guttas, vel dimidium cochlear cum cremato deglutiunt, quo facto, intra noctis unicæ ſpatium ſæpius, Plicam, ſub ingentibus doloribus ac clamoribus, expelli, crinesque contorſione atque implicatione conſueta invadere obſervant. Quamvis autem & vehementius ac non facile imitandum hoc experimentum eſſe exiſtimem, videtur tamen ab antiquiſſimis jam temporibus in Polonia contra *Plicam* jam in uſum fuiſſe vocatum: ſiquidem & ſuo tempore *Starnigelius in Epiſt. ſuperiori cap. allegata ad*

Pro-

Profeſſ. Academ. Patavinæ, erinacei comeſti uti ſpecifici remedii contra *Plicam* inter plebejos meminit. Taceo multa alia apud vulgum uſitata contra Plicam remedia, partim abſurda, partim etiam ſuperſtitioſa. Unicum hoc ex obſervatione prudentiorum Medicorum, qui hunc affectum examinarunt & tractarunt methodice, epiphonematis loco, ſuperius dictis addens: hunc affectum curationem perfectam vix admittere, præſertim, cum generoſis auxiliis, purgatione nimirum & venæſectione, imo & ipſa ſalivatione Mercuriali, exaſperetur, ut merito de illo dici poſſit, quod Hippocrates de cancro occulto ſcripſit: *melius nimirum eſſe ſi non curetur, cum curati citius pereant.*

Relatio specialis Morborum Warsaviensium Anni 1720. cum Methodo Medendi.

PRo supplemento eorum, quæ in antecedentibus generali modo dicta fuerunt *de Ingressu ad Infirmos Warsavienses*, consultum duxi subjicere hic relationem specialem morborum per annum integrum explicatam, prout illam ex Diario Practico *Anni* 1720. quondam Ephemeridibus Vratislaviensium Kanoldianis inserendam Germanico idiomate curavi, nunc autem Latine reddidi, ut communi cum reliquo opusculo lingua cohæreat, non sine spe publici cujusdam usus. Quantam enim utilitatem in Praxi facilitanda cognoscendaque Medendi Methodo, Diaria afferant Practica bona fide consignata, illos latere non potest, qui in tyrocinio Medico Practicorum Observationes fidelesque relationes Clinicas evolvere solent. Uti ego etiam memini, me quondam sub primis Praxeos meæ annis, ex *Viti Riedlini Lineis Medic. Lentilii Eteodromo, Apini Observationibus de Febre Malign.* aliisque hujus farinæ scriptis, plus profecisse, quam ex ingentibus operibus ac Medicinæ systematis; quorum pleraque ad ostentationem potius, quam ad verum in Praxi Clinica usum, conscripta esse, æqui rerum judices fatebuntur facile. Neque enim dubitandum est ullo modo, quin posteri, eadem mala, quæ nos patimur, experturi, nullamque rem facile aut in causis, aut in symptomatibus, aut in præsidiis, nisi tempus interesse, deprehensuri sint.

* * *

Anni 1720. initium, in specie autem tres priores ejusdem menses, ab ordinaria *Hyemis* tempestate non multum discrepabat. Et mense *Januario* quidem prima ejus medietas utplurimum humida, pluviosa & mitis cum Occidentali vento, qui ultimis diebus de Meridionali simul participabat, observabatur. *Februario* mense, gelu cum Septentrionali & Occidentali vento incipiebat, & a decimo die ad finem mensis ita continuabat cum sensibili indies augmento, ad *Martii* medium usque: quo tempore ex Occidentali plaga venti vehementius spirabant, sequente 22. ejusdem, procella, qua cessante, nives & glacies præcipitanter solvebantur, adeo ut 24. Martii die, glacies in Vistula penitus dispareret, fluvio ita paucis posthac diebus navigabili iterum reddito.

Durante hoc hyemali tempore morbi frequentiores erant: *Tussis & Febres Catarrhales*, quæ ineunte Martio in *Pleuritides* mutabantur hinc inde satis malignas, a quibus illi qui alias Arthritide laborabant, vehementius affligebantur. Fœminæ hoc tempore levissima occasione data, *Passiones Hystericas* patiebantur: mense Februarii nonnulli, admisso incautius frigore, *Paralysi* afficiebantur: ac tandem sub Martii finem ipsumque æquinoctium, occurrebant plures *febribus continuis* non sine malignitate laborantes.

Tussis autem jam allegata & *febres Catarrhales*, infantes potissimum infestabant, & quidem adeo vehementer, ut nocturno tempore, ob tussis vehementiam, suffocatio sæpius immineret. Tunc omnia demulcentia, pectoralia, anti-Catarrhalia, anodyna in cassum adhibita, memini, utpote quæ nec palliative quidem operæ pretium faciebant. Certius auxilium abstergentia salina, Tartarea, e. g. Liq. Terr. fol. Tartari, crebriorque ex Veronica, Scord. flor. Sambuc. Bellid. Sem. Badian. paratorum infusorum usus, interpositis singulis fere octiduis, laxantibus lenioribus ex Rhabarb. fol. Senn. Manna confectis, præstabant. Apud adultos Catarrhis his affe-

affectos, in quibus *febris Catarrhalis* concurrebat longe manifestior, præcipua & efficaciora medicamenta erant Resolventia ex Sal. Volat. C. C. Viperar. Succin. cum largiori vehiculo aquoso syrupis convenientibus edulcato, propinata: quibus in usum tractis expectoratio statim facta liberior, atque exæstuationes febriles, soluto lymphæ coagulo & stasi, ad sensum, præsertim si præterea transpiratio, datis infusis medicatis, instar potus Theæ usurpandis, simul atque eodem tempore promovebatur, remittebant.

Ejusmodi *febri Catarrhali* eo tempore inspecie Vir quidam quinquagenario proximus, ex itinere quadraginta milliarium, durante inclementi hyemali tempore suscepto multum passus, affligebatur. Temperamentum ejus sanguineis accensebam, prætereaque actu erat plethoricus. Ac licet in hoc tussis, inquietudo, æstus ac febris per data jam allegata medicamina, brevi mitescerent, valde molestum tamen in cordis scorbiculo sentiebat adhuc per aliquot dies durantem dolorem gravativum, cum Anorexia; cui, quia a longo tempore alvi constipationibus se abnoxium esse referebat, Elix. Propriet. cum Rhabarb. paratum & cum Spiritu Nitri dulci mixtum, opposui, ex quo medicamento non solum magnum ratione Cardialgiæ auxilium sentiebat, sed appetitus etiam ac simul præter omnem quidem expectationem, fluxus Hæmorrhoidalis, ab aliquot annis jam suppressus, & quem medicamentis non saltem internis, sed applicatis etiam hirudinibus hactenus frustra solicitaverat, redibat: Ita, ut egregie sublevatus atque ex morbo convalescens penitus, brevi tempore post, patrios repetere lares suosque revisere integrum ipsi fuerit. Ego autem ex hoc exemplo quantum remedia Aloetica tempestive adhibita pro aperiendis Hæmorrhoidibus in subjectis dispositis, certo ac tuto operando, valeant, didici.

Illi qui sub hac cœli constitutione *Pleuritidem* patiebantur, vehementiora & inconsueta experiebantur symptomata, multique ex his, frustra adhibitis medicamentis vel maxime congruis,

gruis, vitam cum morte commutabant. Principium morbi hujus tunc, uti solet, frigus & horror satis sensibilis faciebant, secutis immediate laterum puncturis ac respiratione difficillima, & si rebus sic stantibus, quinta die expectoratio non bene procedebat, malum degenerabat in Peripnevmoniam, & ægrotantes, aucta acuta febre & superveniente delirio, die octavo vel nono fatis cedebant. In specie autem funestus morbi exitus illos, qui calidioris potus, præsertim cremati ingurgitationi assueti, humores inspissatos ac viscera ad inflammationem disposita in corpore alebant, utplurimum manebat. Inter feliciores patientes hoc tempore referre poteram præcipuæ conditionis virginem, septendecim annorum, paucos menses ante vectigal lunare prima vice tribuentem, quæ, post vehementiorem corporis per saltationes & choreas tempore Bachanaliorum commotionem, & simul improvide admissum frigus, vehementem incurrebat *Pleuritidem;* & cum die quinta & sexta nulla sequeretur expectoratio, pleraque autem symptomata, dolor acutissimus & delirium simul cum inconsueto genæ affecti lateris rubore, exacerbarentur, non parvum ex superveniente Peripnevmonia imminebat periculum: licetque die sexto, copiosa satis purulentæ materiæ per diuresin appareret excretio, insistentibus tamen ac pertinacius affligentibus symptomatis, ægra pessimo exposita erat prognostico, donec tandem mirabili naturæ per continuationem purulentæ diureseos auxilio, obstructiones circa organa pnevmonica resolverentur, insuperque expectoratio copiosissima rediret, quibus opitulantibus brevi penitus judicabatur malum, ægraque pristinæ restituebatur sanitati. Remedia, quæ maximum in debellando hoc malo punctum tulisse videbantur, præcipue erant pulveres ex præparatis marinis cum Sperm. Ceti & Cinnabari, itemque mixtura ex Liq. Terr. fol. Tartar. cum Spir. Tart. propinata, interdum autem contra tussis vehementiam parva Pilul. de Styrace dosis interposita.

Arthritidem antea passi, hoc ipso tempore, etiam suos patiebantur manes, & recidivas experiebantur. Longe autem vehementius malum hoc mulctabat illos, qui aliquid de Venereo in corpore alebant miasmate; tales enim duplices a Morbona accipiebant plagas, præter dolorem in articulationibus consuetum, in ipsis etiam ossibus dolores osteocopos sentientes, nec sudoriferis nec anodynis obedientes. Et hos quidem, non sine salivationis periculo, cum Mercurialibus & Antimonialibus sale quodam volatili vigoratis tractare debui, a quibus sensibilius semper experiebantur dolorum lenimen; nec omissa ex lignis fuere decocta: salivationem autem interpolata, ast parcius, mitiora purgantia declinabant. Inter sequiorem sexum, quæ *Mensium obstructione & parcitate* laborabant, non paucæ erant, ex sola lymphæ abundantia & coagulatione defectum illum patientes. Recordor præter alias, fœminæ triginta fere annorum, puerperium nunquam, licet cum tertio jam marito viventis, passæ: hæc continuum causabatur torporem & somnolentiam cum anorexia & alvi segnitie, supervenientibus simul ex improviso doloribus in dorso, adeo ac si vertebræ diffringi deberent, vehementibus. Vena huic secta in utroque pede, laxantia etiam adhibita fuere leniora, præterea que per commodum tempus vinum Medicatum aperitivum alternatim cum pulvere anti-Chlorotico Lentilii in usum ducebatur, ast sine omni effectu, quid quod brevi post venæsectionem longe majorem torporem, gravitatem & difficilem respirationem passa fuerit. Tandem post datum fortius ex resina Jalappæ in Spir. Cochlear. soluta Hydragogum, & aliquot largiora salis polychresti præbia, ita ut artificialis inde moveretur diarrhœa, per aliquot dies continuans, pleraque silebant symptomata, & ipsa inposterum magis ordinarias experta fuit cum faventiore valetudine, menstruationis suæ periodos.

Passiones Hystericæ hoc tempore occurrentes, nullis fere aliis, nisi ex Salib. vol. Urinos. paratis medicamentis obediebant:

bant: externe autem emplaſtra ex gummi acribus ac fœtidis fragrantibus parata, erant maxime proficua.

In Paralyſi notabilem tunc obſervavi caſum in ſexaginta quinque annorum viro, qui jam altera vice, poſt admiſſum incautius in capite & nucha frigus, Lipothymiam fortem, cum memoriæ & loquelæ defectu ac paralyſi ſiniſtri lateris. Talis igitur affectus invadebat iterum ipſum die *menſis Februarii* undecima, plane eodem ut antea bis jam factum fuerat, modo. Dies quatuor vel quinque poſt hunc acceſſum, loquela quidem redibat iterum, magna tamen cum difficultate, donec paulatim liberior fieret. Memoriam autem adeo obſervabamus apud ipſum deſtructam, ut non niſi poſt quatuor hebdomadas cum tribus diebus, reminiſci poſſet, quo in loco jam actu viveret, firmiter enim perſuaſus erat, non Warſaviæ ſed Gedani ipſum degere, quod nullo modo per totum illud tempus diſſuaderi ipſi poterat. Interim brachium ſiniſtrum una cum pede ejusdem lateris ſine motu & ſenſu reſtabant *paralytici* ad decimum ſeptimum *Martii* usque, atque interea membra hæc ex nimis frequenti & incauta calidorum applicatione ac frictione adeo erant excoriata & inflammata, ut Gangrena quibusdam in locis vix arceri ab his per Chirurgum potuerit. Quoad medicamenta in tali ſtatu paralytico applicata, notatu dignum, Pilulas quasdam ex ſola Aſa fœtida paratas, præ aliis quibus nullo modo parcebatur remediis, officium egregie feciſſe: ad quarum uſum moleſtæ valde flatulentiæ partim, partim etiam pertinaces alvi obſtructiones me invitabant, & poſſum hoc præterea affirmare, quoties ſimpliciſſimo hoc medicamento utebatur, toties ad ſe melius ex ſopore redibat, una cum Cephalalgiæ pertinacioris, quæ tunc moleſta maxime etiam erat, ſenſibili remiſſione. Poſt ſeptem vel octo hebdomadum defluxum tandem in tantum paraliticus hic reſtituebatur ſanitati priſtinæ, ut, ſcipionis ope, per conclave hinc inde ambulare potuerit: & cum ineunte ejusdem anni æſtate peregre in rus miſſus fuerit, brevi tantum

iterum acquirebat robur, ut ſine auxilio ſtare, ire, & circumambulare, cum loquelæ & memoriæ perfecta reſtitutione, imo autumno appropinquante longinquo ſatis itinere, Lipſiam proficiſci potuerit, ubi adhuc dum vivit, & ſummi numinis beneficium extollit, quo, non obſtante ætate provectiori duplicique recidiva, ex tam gravi morbo convaluit. Alii Hebræo cuidam pingui robuſto ac forti viro, ſimulque valde ſanguineo, 50. fere annorum, adeo felicem eſſe haud licuit: hic enim vigeſima prima *Februarii Apoplexia* tactus fuerat circa mediam noctem: inviſens illum aurora ſequente, ſine omni ſenſu, profundo ſopore ſepultum inveni, & quia ſanguis jam a Chirurgo ex pede miſſus fuerat, nil niſi vomitorium antimoniatum ex largiori doſi Tartari Emetici paratum propinavi, operatione ſecuta felici & copioſa per repetitos vomitus, aſt ſine omni euphoria. Socii ipſius deſperantes & merito quidem, ejusdem diei veſpera, tranſportare agonizantem ex urbe & Maſſovienſi tractu ad Podlachiæ limites ſategerunt, ubi poſt ſuperatam illam noctem, mane expiravit, atque libitinariis ut pinguis victima traditus fuit.

Febres continuæ quæ alias hoc anni tempore valde ſolent eſſe, non ſine inſigni ſtrage civium, communes, apud pleroſque jam longe mitiores obſervabantur. Præter opinionem autem obveniebat mihi quidam circa ipſum vernale æquinoctium, *febre continua* prehenſus adeo ſævis ſtipata ſymptomatibus, ut contagii univerſalis tempore pro Peſte infecto declaratus ſine dubio fuiſſet. Vir erat quadraginta fere annorum, ſtrigoſioris habitus, pallida facie, cum nigerrimo capillitio, temperamenti quantum hariolari licebat, ad Melancholicum maximam partem inclinantis; matrimonium ante annum cum juvencula iniverat pulchella, qua cum, loco dotis, nil niſi Venereas acquiſiverat delicias; unde ab aliquo jam tempore fatiſcens viribus & curis obrutus multum deficiebat in vigore priſtino, donec tandem duodecima Martii, in febrim incideret, a principio non niſi calore ob-

obſcuro, inquietudine & languore, ſimul tamen tuſſicula & raucedine concurrente, ad inſtar Catarrhalium, moleſta. Uſurpatis in tali ſtatu conſuetis contra Catarrhalem Epidemiam reſolventibus ac Bezoarticis, nullo modo tamen ſymptomata compeſci ſe patiebantur, in ſpecie autem agrypnia & inquietudo augebantur quotidie, & die decubitus decima tertia leve delirium apparebat. His non obſtantibus, cum ſub hac ſymptomatum exacerbatione alter Medicus in conſilium & auxilium vocatus, potionem Diaſcordiatam cum aceto & abſorbentibus paratam ordinaret, optata per hauſtam hanc ſequebatur quies: decoctum de toto citri inſerviebat tunc pro potu ordinario, & paulo poſt dicto Medico placebat pulveres ex ſpin. Viper. cum Sal. Eſſent. Acetoſellæ propinare, atque decoctum dictum ex toto citri, addito inſuper Cremore Tartari acuendo, acidius adhuc facere, ut hoc modo, prout tunc loquebatur Medicus iſte, ſanguis ægrotantis inflammatus atque exuſtus, refrigeraretur ac dilueretur: quo facto autem patiens denuo ſumma inquietudine repetente, febricitabat vehementer, inſuper Dyſuria accedente, qua per aliquot dies multabatur ſtrenue: atqui & hæc iterum reſolvebantur, repetito Electuarii Dia-Scord. uſu, & dato cum hoc, alternis vicibus, Caſtoreo cum præparatis abſorbentibus in forma pulveris mixto. Die decima octava decubitus Parotis circa aurem ſiniſtram emergebat, ſumme ad minimum tactum doloroſa, cui opponebatur pro reſolutione pulv. Bez. Senn. cum Epil. March. & antimon. diaphoretic. addito Caſtor. Die 19. morbi, dicta jam ſymptomata excipiebat cum magna febris recidiva, Purpura alba, & loco Dyſuriæ excruciabat ægrum Teneſmus cum excretionibus ſanguinolentis: rebus ſic ſtantibus inſiſtebatur uſui Elect. Dia-Scord. cum præparatis mixto ac temperato: die 21. in pedibus extremis & ſub genubus apparebant petechiæ nigræ majores, & exacerbatio febrilis hac die augebatur ad ſenſum, cum horrore non levi, ſub quo ſtatu manus ipſi livebant triſti ſpectaculo; repetebatur tunc

usus Misturæ alexipharmac. ex El. Dia-Scord. Mithridat. absorbentibus camphoratis cum Aceto temperatæ: paroxysmorum febrilium interim exacerbatio ad 25. diem usque continuabat strenue, jam fortius jam remissius affligens, & tenesmus vehementius jam iterum urgebat propendentibus simul ex sede, Hæmorrhoidibus cœcis; Parotis autem licet interea temporis cum emollientibus externe tractata fuerit, nullo modo ad maturationem disponi poterat: interna, rebus sic stantibus, constabant ex Bezoarticis bolaribus in pulveris forma, cum interpositis potionibus ejusdem generis; & quamvis ægrotanti die decubitus 25., jubente sic dicto Medico, adhuc semel Mixtura Alexipharmaca ex El. Dia-Scord. Camphorato pro malignitate superanda & ad excretionem disponenda, propinaretur, frustra tamen hæc omnia: dieen im 26. decubitus, quatuor vel quinque paroxysmos febriles cum insigni rigore perpessus, intumescente interim extraordinarie ventre, (pluries licet antea applicatis clysteriis,) agebat animam, atque hac ipsa adhuc nocte expirabat. Morbus hic quod inter malignissimos recenseri debeat, nemo fortassis inficias ibit prudens Medicus, relata jam omnia symptomata probe expendens. Quod autem ipsa malignitas tamdiu duraverit, citra citiorem oeconomiæ vitalis destructionem, temperamento subjecti Melancholico procul dubio erit adscribendum, utpote in quo omnes naturæ & morborum motus longe esse solent lentiores, quam apud alios largiori choleræ aut sanguinis dosi instructos.

Observationes has claudat sanguineus, triginta fere annorum vir pinguis & evsarcus, vividi coloris, & facie florida, militaris ordinis & uxoratus: hic *d.* 28. *Martii* me accersivit, postquam per continuos 14. dies *Cephalalgiam* singulis noctibus post duodecimam repetentem & postea ad meridiem usque tam vehementur ipsum affligentem, ut nullo modo quietem invenire, imo sæpius in rabiem inde agi timeret, passus fuisset. Huic nihil præter sex pulveris ex Cinnab. Antimon.

mon, Bezoartic. miner. cum Mercur. dulc. & paucis salis Volatil. Viperini granis resolventis doses dedi, injuncto simul copioso Infusi Herbæ Theæ potu; quibus perfecte restituebatur, ita quidem, ut statim post tertiam dicti pulveris dosin dolores cessaverint, fatente ipso, postquam post tertii pulveris haustum aliquot alvi dejectiones serosas passus fuisset, non aliter ac si manu quis dolorem sibi absterfisset, Cephalalgiam illam immanem cessasse. Nec, quod mirum, postea, nunquam, licet jam annus effluxerit, ex capitis dolore aut aliis valetudinis incommodis quicquam sensit, sed more sanguineorum pancratice & laute vivit, sibi & suis benefaciendo.

Id quod de hyemali hujus anni constitutione jam in antecedentibus dictum, idem de *Vernali* commode repeti potest, quod scilicet cum tempestate huic tempori consueta bene conformis fuerit. Prima enim *mensis Aprilis* medietas decenter adhuc erat frigida, ex nive, pluvia & nubilosa ac nebulosa tempestate mixta: post medietatem autem tepidior cum coruscis solis radiis aër continuabat, qui sub finem hujus mensis fulgura cum tonitru post se trahebat. Ventus per hanc mensem utplurimum spirabat ex Occidente, vel Aquilonaris per favonium temperatus erat. *Majus* iterum aliquod frigusculum cum pluvioso & nubiloso cœlo mixtum, tandem autem calorem, sole liberius corruscante, cum vento utplurimum Meridionali & Orientali accersebat. Totum fere *Junium* alternantes cum pluvia, sole corruscante, calore & tonitru dies constituebant, ita ut cum Maji tempestate fere æqualis fuerit.

Plerique, quos per trimestre hoc observavi morbos, sporadici in *Pleuritide*, *Diarrhœis*, *Calculo*, *Parotidibus*, *Febribus continuis Hæmorrhagiis*, *Epilepsia Infantum* consistebant: quorum casus notabiliores commemorandi sequentibus:

Pleuritides igitur quod attinet communissimæ hæ erant ex hyeme adhuc continuantes, & uti supra jam dictum, in lethales sæpius degenerabant *Peripnevmonias*. Talem experiebatur

batur etiam quidam ex Aulicis noſtris, vir 50. annorum, qui per 20. amplius annos Cellario Regio inſerviverat, raroque per hoc tempus ex crapula ad ſe redire conſueverat: hic ſub veris initium incidebat in *Pleuritidem*, ac licet ſtatim ſecunda die decubitus, ſecta ipſi vena, ſimul datis interne medicamentis diaphoreticis ac reſolventibus, fuerit, protinus tamen delirabat, auctoque dolore ardente totius pectoris & reſpiratione difficillima cum ſicca tuſſi, quinta morbi die decedebat. Alius ejusdem cum priore ætatis, qui autem inebriatione per crematum & tabaci fumigatione continua illum in vitæ genere ſuperaverat fere, pari modo a *Pleuritide* conſuetis ſymptomatis ſtipato, prehendebatur, & cum ſuperatis jam criticis diebus omnibus, ſpes maxima affulgeret convaleſcentiæ, die decima quarta morbi tamen recidivam febris cum dolorum ac tuſſis exacerbatione patiebatur, quo tempore ſimul ſub mediam noctem, apoplecticus ipſum invadebat affectus, cum loquelæ defectu & totius ſiniſtri lateris impotentia, quo non obſtante, quod mirandum, expectoratio libera, cum alvi & urinæ libero & voluntario beneficio manebant: hunc igitur præter reliqua in tali ſtatu neceſſaria medicamenta, vomitorio dato, ſalvare tentabam, aſt irrito plane conatu: quamvis enim Emeticum rite operatum fuerit, cum ſufficienti corporis concuſſione, die morbi decima ſexta nihilominus, cum permanente lateris dicti impotentia vitam cum morte commutare neceſſe habebat. Longe feliciorem alterius cujusdam, viri triginta annorum morbus ſortiebatur eventum: primus ejusdem inſultus pari modo vehementi *lateris dolore*, tuſſi, æſtu febrili & proſtratione virium ſe manifeſtabat: hæc omnia autem, quod ſingulare, die nono decubitus exacerbabantur ſtrenue, tempore, quo vera Pleuritis alias perfecte judicari ſolet, in ſpecie autem æſtus, inquietudo & dolores punctorii lateris tunc inſoleſcebant, & quamvis tum per venæſectionem, tum per interne propinata diaphoretica atque expectorantia ſatis tempeſtive pugna-

pugnatum fuerit contra vehementiam mali, nullo modo tamen symptomatum inde mitescebat vehementia, quid quod delirium superveniens cum expectorationis suppressione, funestum præsagiebant eventum: donec tandem sepositis omnibus consuetis ac vulgaribus Antipleuriticis, subjectum hoc per leniora diaphoretica emulsiva admixto nitri tantillo, tractaretur, & non obstante tunc simul levi diarrhœa, pro compescendo febrili incendio & resolvenda inflammatione, spiritus quidam vitrioli cephalicus, singulari artificio temperatus, refracta dosi in usum traheretur: quo facto brevi symptomatum vehementia remittebat, atque æger paucis abhinc diebus pulchre ad se redibat, quem præsumptive pro libitinæ candidato merito unusquisque habebat.

Diarrhœas etiam his diebus multi, præcipue illi, qui nuper ex nostris in Poloniam venerant, aërisque juxta & victus generis, in specie autem cerevisiæ, quæ propter parciorem lupuli mixturam refrigerans parum esse solet, minus assueti erant, incurrebant. Atque hic ipse alvi fluxus, nullis aliis quam illis obediebat medicamentis, quibus communiter febres intermittentes oppugnare solemus, longe autem obstinatior apud fœminas, quas prehendebat, erat quam apud viros.

Calculo alias obnoxii, hoc tempore ægrotantium numerum augebant etiam, & valde dolorosos atque obstinatos hi ipsi experiebantur paroxysmos, occasione forte ex inæqualitate aëris atmosphærici deducenda: apud tales omne fere tulerunt punctum Diuretica absorbentia ac demulcentia, pulveres ex Troch. de Alkekengi, Sperm. Ceti cum sale volat. Succ. pro re nata, aut etiam cum Laudani opiati momento, mixti.

Ex eodem fundamento, impedita nimirum extraordinarie transpiratione, *Parotides* etiam adultos, ætatis 30. vel 40. annorum, infestabant, ac tamdiu exercebant miseros,

 cum

cum recidivis etiam, donec ad maturationem venerint: ac licet illi qui his erant ſubjecti, a fortioribus reſolventibus & alexipharmacis, etiam ratione concurrentis febris, non parvum ſentirent auxilium, ſiquidem & ipſe tumor, reliquaque accidentia adeo reſolvebantur, ut plerique ſub his circumſtantiis in ſalvo ſe eſſe crederent, omnique adhortatione ſpreta in publicum prodirent; brevi tamen poſt temeritatis pœnas luebant, longe acerbioribus doloribus ſtipatas recidivas experti, maturationem autem, quam applicatis externe emollientibus & paregoricis in lacte coctis promovere oportebat ordinario, operire neceſſe habebant, ſub quo tempore ſola Oſtracodermata cum antimon. diaphor. & Cinnabari, quibus aliquando & Mercurii dulcis pauca grana addebantur, pro interno uſu ordinabantur aſſumenda: *Parotide* autem bene jam ſuppurata & mundificata a putri ac purulenta materia, ægrotos tandem ſub curationis finem purgantibus datis evacuare neceſſe erat.

Febres continuæ, quæ ſub *Martii menſis* finem graſſatæ fuerant late ſatis, & plures e medio abripuerant, per *Aprilem* & *Majum* continuabant etiam non quidem æque funeſto exitu, ſatis tamen exiſtentes obſtinatæ, atque rebelles. Officialis quidam Aulicus ex præcipuis, qui ante paucos annos in Saxonia, ex enormi narium hæmorrhagia lethaliter decubuerat, poſtquam per aliquot dies equo ſemper vectus Warſavienſe territorium peragrare ſategerat, hac occaſione frigidiori vento incautius ſe exponens, ab ejusmodi febre ex improviſo adoriebatur, quæ non ſolum extraordinario æſtu & cephalalgia ipſum mulctabat, ſed præterea circa diem decubitus decimum, ſub aure ſiniſtra parotis exoriebatur, quæ miſeriam & dolores augebat, & Medicos ratione malignitatis concurrentis non parum percellebat. Applicatis autem omnibus maturationem juvantibus in caſſum, febris continua tandem in intermittentem tranſivit, ex qua poſt trium hebdomadum decur-

cursum emersit feliciter, tumore interim sub sinistra aure una cum febre decrescente sensibiliter, ad parvam usque in affectis glandulis, quæ restitit, duritiem: imo post decursum aliquot mensium, ipsi longinquo satis itinere defungi & Saxoniam repetere licuit. Crisis sub totum *febris continuæ cum Parotide* decursum in hoc subjecto, diarrhœa fere sola erat, quæ a die morbi decima quarta ipsum invadebat frequentius, cum euphoria tamen.

Sub idem tempus nonnullos etiam vidi *Purpura* laborantes, sed plerosque fere sine malignitate insigni. Vir quidam triginta quasi annorum, sub ipso manuali labore, & corporis defatigatione, frigore ac horrore ex improviso prehensus, totus instar schidii rigidus domum deportabatur, lecto autem traditus, & calori naturali restitutus, per totum corpus rubore suffundebatur, præterea autem in vultu & partibus vicinis adeo intumescens, ut formam propriam penitus amitteret, & hæc quidem omnia, intra paucas saltem horas, quam metamorphosin, præter omnem opinionem anxietates præcordiorum summæ, æstus cum siti enormis ac virium prostratio subitanea excipiebant: maximum autem supplicium sentiebat æger in pruritu & dolore morsicante sub cutim, miserum ad rabiem fere excruciante: interim sub brachiorum & pedum articulationibus magnæ exoriebantur vesicæ, quibus ruptis aqua excernebatur flavescens, concurrente simul inflammatione, ex qua Chirurgus gangrænam imminere ob coloris cutis læsæ mutationem inconsuetam, timebat valdopere: hunc & alios ejusmodi ægrotantes ab initio Bezoarticis volatilibus ex C. C. vel Viperis paratis, largiori vehiculo aquoso dilutis atque edulcoratis tractavi, datis paulo post solis Bolaribus absorbentibus, cum cinnabari & nitro mixtis, quo facto facile hoc vesiculosum Erysipelas superarunt, & nunquam fere plus quam decem vel quatuordecim dies decumbentes in lecto consumserunt.

Hæmorrhagiis Uteri laborantes his diebus etiam nonnullas, tam in quam extra conjugium viventes tractavi fœminas. Matrona quædam honestioris conditionis ex Aulicis, ejusmodi hæmorrhagia ex mola, quam per duos menses gesserat in utero, patiebatur; mirandum autem quam copiosa sanguinis quantitas excernebatur, antequam mola sequeretur, adeo, ut propter Lipothymias simul concurrentes, de vita actum esse videretur: statim autem ac mola exclusa esset, enormes illæ sanguinis profusiones sensim cessabant, febris autem reliquiæ per præcipitantia cum tantillo Arcan. duplicati mixta, interposita Mixtura Simplici cum Spiritu Tartari combinata, brevi tempore profligabantur. Apud aliam fœminam, una cum altero Medico, eundem affectum eo tempore tractavi: longe autem erat hæc Hæmorrhagia, ast sine molæ exclusione, obstinatior, & præter sanguinis fluxum horrendæ concurrebant passiones hystericæ motibus convulsivis interdum stipatæ: & quia persona hæc non parum de fama alias periclitabatur, non levis erat suspicio, hanc uteri hæmorrhagiam a frequentius antea adhibitis poculis abortivis originem traxisse: credi enim vix potest, quantum miseriæ & damni leviores ejusmodi meretriculæ, per fortiora pellentia abortiva sibi contrahant, siquidem non saltem hæmorrhagiis, sed insuper aliis etiam malis se exponunt, Medico autem negotium facessunt, quatenus nunquam fere infelicioris conditionis corporis fundamentum verum sincere exponunt. Postquam tales fœminæ *Hæmorrhagias* has sæpius & habitualiter fere passæ fuerunt, tandem, præsertim phlegmatico sanguineo temperamento prædominante, ætate provectiores, in tumores œdematosos & tandem asciticos affectus incidunt: aliæ hac occasione e contrario suppressiones mensium pertinaciores sibi contrahunt, indeque fere infeliciores sunt prioribus; nam aut frequentiores inde ac enormes patiuntur passiones hystericas, colicas, cum cordis palpitatione,

aut

aut epilepticos motus ipsos, cum Chlorosi perpetua in Cachexiam vel Hecticam febrim desinente: aliæ, vigore Choleræ in temperamento prævalentis, in febres acutas incidunt inflammatorias, ac perpetratas clanculum cædes præmatura morte luunt.

Infantes tandem etiam vernali hoc tempore, plus solito *motibus Epilepticis* vidi tentatos, quibus præsertim difficili Dentitione prævia, succumbebant plures. Hac occasione non sine admiratione, observavi infantes epilepticos non facile aut impune neque Castoreata, neque Nitrata ferre: cum tamen Castoreata in affectibus nervosi generis, nitrata autem propter concurrentes exæstuationes febriles, tanquam specifica remedia communiter & merito celebrentur. Exacerbabatur inde certo certius malum, revertente postmodum citius solito vehementiori paroxysmo.

Quamvis æstus ille excessivus, qui præterito anno totam fere Europam exusserat, hac *Anni* 1720. *æstate* in gradu adeo excessivo haud observatus fuerit, duo tamen menses æstivi *Julius & Augustus* his in locis præfervidi satis erant & ignei, nullaque sufficiente ventorum aut pluviæ vicissitudine temperati. Nec Venti *Julio mense* ex Septentrione & Occidente spirantes, ad moderandum insignem æstum ullo modo erant sufficientes; *mense Augusto* autem ventorum Favonii & Austri ventilationes vix, ac ne vix quidem erant sensibiles. Usque dum in *Septembri* pluviæ iterum caderent, terram humectando, venti autem ex Septentrionalibus & Occidentalibus mixti per sedecim dies continuos spirantes, aërem adeo ab uno extremo fere ad alterum immutarent, ut sub hujus mensis medium ubique fere hypocausta calefacere in plerisque conclavibus necesse fuerit.

Morbi principaliores *per trimestre Æstivum spatium* grassantes, in *Febribus Intermittentibus ac quibusdam etiam Acutis & Catarrhalibus, Fluxu mensium nimio, Hæmorrhagiis Uteri & abortu,*

Catarrho suffocativo, *Cardialgiis*, *Dysenteriis*, *Ictero*, *Tumoribus inflammatoriis Venereis & Ophthalmiis* consistebant.

Febres Intermittentes autem hoc tempore observavi præcipue in quibusdam ex itinere reducibus, in eoque per excessivum æstum & victum depravatum fatiscentibus, ex quorum numero mercator quidam Græcus, & Secretarius Legationis Regius erant: prior ex Byzantio Warsaviam veniebat, itinere mirum quantum propter æstum squalidum fatigatus, alter Berolinum nuper reliquerat, ubi ex carceris specie & ira multum passus fuerat. Utrumque autem tunc sine evacuantibus, per Tartarea salina, leniora digestiva, & stomachalia restitui.

Febris Acuta inter alios, honoratioris quidem conditionis personam, ast quæ insano cremati abusu & pica, antea laboraverat, prehendit. Hic mox die quinto decubitus tanto delirio afficiebatur, ut vix ac ne vix quidem in conclavi detineri, ad lectum autem nullo modo relegari posset: per diaphoresin igitur rebus sic stantibus nihil fere auxilii hic erat expectandum, insuper autem accedens in cumulum malorum Diarrhœa, funestum morbi minitabatur exitum: his non obstantibus, ex Acuta hac convalescebat iterum, & in consanguineorum dedecus potius quam solatium vivit ad hunc usque diem. Per totum morbi decursum in hoc subjecto, Elect. Dia-Scord. Frac. Bolaribus diaphoreticis sociatum, optimum præstitit auxilium: quod remedium alias etiam apud omnes lurcones & bibones, cremati pica laborantes, sacra fere est anchora, contra nauseas, vomitus & cardialgias ex abusu hujus potus solennes.

Eodem hoc tempore quidam etiam *febre Catarrhali cum Tussi* vehementissima, ad vomitum assumptorum usque urgente laborabant. In hoc Catarrhalium genere cum vomitu ex tussi conjuncto, nemo lenioribus diaphoreticis Succinatis, Cinnabarinis, multo minus Nitratis aliquid præstiturum se cre-

credat: Theriacalia enim & Dia-Scordiata, & quidem in largiori dosi, & continuato usu propinata, unice fere hic sunt necessaria, quibus neglectis per aliquot menses & ultra ejusmodi ægris se fatigare, tandem autem in plerisque lamentabilem, in Hecticam & Phthisin se terminantem exitum, expectare oportet.

Fluxus Mensium nimius, *Hæmorrhagiæ Uteri & Abortus* hoc æstivo tempore, fere plus quam antecedentibus mensibus, plerisque erant infesta, an ex nimia sanguinis expansione orgastica, an propter excessivam ejusdem fluxibilitatem, non facile hic deciderem: licet ambæ allegatæ rationes ex intenso horum mensium calore explicari bene possent. Occurrerunt mihi aliquot in conjugio viventes fœminæ, quæ ex nimio mensium fluxu tali, qui ab uno mense ad alterum continuabat indesinenter, nullam aliam quam vertiginosam capitis debilitatem, cardialgiam & totius corporis lassitudinem, senserunt molestiam; & has, dato Spiritu Vitrioli Cephalico, vel Elix. Vitrioli arom. Mynf. cum Ess. Lign. Aloës maritato, interposito Salis Volatil. Oleosi Sylv. usu, curavi facile: quædam *formales Uteri Hæmorrhagias* patientes, simul, aut brevi post dictæ hæmorrhagiæ cessationem, ingentes experiebantur dolores Arthriticos: hoc modo affectam tractavi centurionis cujusdam uxorem incredibiles inde coxæ dolores, instar mali ischiatici, cum agrypnia ad aliquot septimanas durante, patientem: hæc nullum penitus ex omnibus medicamentis sentiebat effectum, neque prius quam effusiones per genitalia cruentæ cessarent, dolores illi immanes sedari poterant: Pilulæ Halens. polychrestæ, egregium alias in ejusmodi affectibus specificum, Essentia dulcis eorundem, Liquor Anodynus Hoffmanni, quacunque ratione & modo, proprio consilio ab ipsa usurpata, nec minimum procurabant auxilium, ut nihil dicam de Venæsectione revulsoria, Opiatis, Nervinis & Chinatis cum absorbentibus terreis

mix-

mixtis, quæ non minus varia ratione & methodo & per commodum aliquod tempus in usum fuere tracta: ad minimum enim per integrum trimestre misera hæc doloribus illis fuit excruciata, in quo martyrio magnam tamen ubique exercuit animi constantiam & incredibilem patientiam.

Alio fere modo ægrotavit eodem tempore Generalis Exercitus nostri cujusdam uxor, quæ post mœrorem continuum & iram, octavo gestationis in utero mense, incidebat in *febrem Tertianam duplicem*, in cujus paroxysmo duodecim fere horas utplurimum durante, suaviter semper delirabat ex ingenti atque immani concurrente Cephalalgia: hæc per aliquot dies in tali statu, solis præcipitantibus Salinis, Tartareis, Nitratis ac Castoreatis, tandemque post assumptum lene ex Magnes. Nitri cum Emuls. Amygdalina laxans, per administratam venæsectionem in manu sinistra, tractata fuerat; donec ex consilio Medici supervenientis magni nominis, Antifebrilia potentiora, nominatim, ex cortice Cascarillæ & Gentiana parata, propinarentur, quibus bis in dosi reiteratis, abortus sequebatur nocturno tempore ex improviso, adeo ut obstetricem accersere propter temporis angustiam haud licuerit: nihilominus infelix hæc puerpera, post breve tempus feliciter iterum ad se redibat, remittente immediate post abortum simul & semel fere febre.

Morbis ex Aëris tempestate natis jure accensere possum, affectum fœminæ cujusdam Gallicæ nationis, quæ cum pretiosis mercibus brevi antequam in morbum incideret, Dresda Warsaviam accesserat. Huic libido incessit tunc sub ingenti aëris æstu, una cum aliis quibusdam Polonicæ nationis fœminis, auræ Warsaviensi melius assuetis, Vistulæ fluvium ingredi, ejus balneo ita utendo: vix autem ex hoc balneo domum redux, in *Suffocationem* adeo enormem incidebat, ut de vita ejus actum esse crederent adstantes; & ego postea per integrum octiduum strenue, pro congestionibus sangui-

nis

nis & humorum, cum ſpaſmodica nervorum organis reſpirationi inſervientium contractione, ſuffocationem efficiente, a pectore derivandis agere neceſſe habui: in tali ſtatu venæſectio & clyſteres partim ex neceſſitate, partim pro nationis conſuetudine & genio, repetita fuere frequentius ſolito, in ſpecie autem Volatilia Urinoſa, Succinata & Caſtoreata, interpoſitis reſolventibus ſulphureis ex Spermate Ceti cum oleo amygdal. dulc. maxime expertus fui proficua, quibus diligenter uſurpatis ſuperavit omne malum, ita ut poſt quatuordecim dies in publicum prodire denuo potuiſſet.

Sub menſis Auguſti finem hinc inde emergebant *Dyſenteriæ*, ita ut per unam ſeptimanam plusquam ſex hoc malo decumbentes mihi obvenerint. Erat autem hoc anno *Dyſenteria* adeo quidem tractabilis ac fere penitus non maligna, ut etiam hac affectos vix lecto teneri neceſſe fuerit: plerique enim erant orthoſtadii, & præmiſſo ex Ipecacuanha Vomitorio, per uſum Eſſentiæ Theriacalis, Tincturæ Bezoarticæ atque Anodynæ, interpoſitis pulveribus ex abſorbentibus terreis cum cortice Peruviano & Ol. Nuc. Moſch. expreſſo mixtis, brevi reſtituebantur.

Tractavi tunc etiam aliquot *Ictericos*, qui autem propter recidivas frequentiores magis me exercebant: quibusdam ex his infuſa ex aperientibus & laxantibus cum vino parata conferebant egregie, alii horum uſum penitus non ferebant: in ſpecie centurionis cujusdam memini, qui poſt infuſi ejusmodi uſum, validam incurrebat cum Cephalalgia & Agrypnia ſtipatam febrim, licet huic in anteceſſum etiam data fuiſſent evacuantia: & hoc fortaſſis ex nimia in primis viis latente ſaburra: convaleſcebat autem brevi & ſtatim fere ac Spiritum Carminativum de tribus cum Spir. Salis Ammon. Aniſ. mixtum ipſi dederam.

Non obſtante inſigni ac flagrante hujus æſtivi temporis æſtu, tranſpirationem ordinarie plus augente quam ſup-

primente, consequenter abscessibus internis pro feliciori resolutione alias maxime favente, multos tamen Gonorrhœa intempestive suppressa aut male tractata, in *periculosos testiculorum tumores* incidisse observavi, fortassis propter nimiam seri per sudores exhalationem, & particularum sulphurearum in sanguine exaltationem. Ex numero horum erat coquus quidam ex Regia Aula primarius, sæpius jam ex minus legitime tractata aut neglecta gonorrhœa male mulctatus: hic enim, omnibus evacuantibus, resolventibus Mercurialibus frustra adhibitis, in tali statu *scirrhosum* contrahebat *testiculum sinistrum*, qui demum concurrente ingenti inflammatione, suppurationem subibat, & propter simul præsentem incompescibilem excrescentiæ lardosæ proventum, Chirurgo tædiosissimum facessebat negotium; cujus affectus fatalem exitum infra sub recensione Autumnalium morborum communicabimus.

Alius Ministri cujusdam aulici pedissequus, eodem hoc tempore insignem patiebatur *testiculi dextri tumorem cum inflammatione*, & hunc quidem ex intempestive per Terebintinata suppressam Gonorrhœam; huic autem adeo licebat esse felici, ut post applicata in tempore externe emollientia & resolventia, interne autem data purgantia fortiora interpositis Antimonialibus & Mercurialibus remediis, tumor cum inflammatione, intra octiduum dissiparetur penitus: eundemque ab iisdem remediis æque salutarem duo aurigæ ex Regio stabulo experiebantur eodem fere tempore in simili malo effectum.

Ex pari causa externa, nimia scil. aëris rarefactione, atque hinc oriundo sanguinis & humorum orgasmo cum sulphurearum particularum exaltatione, factum fuisse existimo, quod *Ophthalmiæ mense Julio* præsertim observatæ fuerint consueto frequentiores, apud nonnullos in *Cataractas* degenerantes. Hoc infortunium certus ex Prætoria Cohorte

Eque-

Equeſtri ſatelles etiam incurrebat; ſub finem enim hujus menſis adeo vehemens *Defluxio Catarrhalis ad Oculum* utrumque cum inflammatione ingenti ex improviſo ſimul & ſemel ipſum invaſit, ut præ immani dolore manus violentas non ſemel ſibi inferre tentaret. Chirurgus turmæ illius ſub quo ſerviebat, tantum quantum poterat ipſi ſuccurrebat, conſuetis in Ophthalmia remediis, irrito tamen omni effectu, inflammatione interim continuo ſæviente, usque dum poſt quartæ ſeptimanæ lapſum, in ſpeciem ſuppurationis degeneraret abſceſſus ophthalmicus: & cum poſtea, vocato ſimul in conſilium Medico, per ſæpius repetita fortiora purgantia, interpoſitis diluentibus in forma Infuſi ex Herniaria, Betonica Salvia &c. paratis, & ſimul datis abſorbentibus diaphoreticis, tantum denuo efficeretur, ut dolor & inflammatio ceſſarent penitus, nihilominus ſub finem curationis, globoſitatem bulbi oculi ſubſediſſe, & ſub ipſa pupilla, corneæ tranſparenti ex cicatrice nebuloſam membranam accreviſſe, quæ deinde in perfectam tranſivit Cataractam, ſummo cum tædio obſervavimus: Patiens ipſe erat ſupra triginta annos natus, Veneri deditus, atque antecedente tempore pluries Mercurialibus medicamentis tractatus. Subſidentiam globoſitatis bulbi oculi poſt hunc morbum, nulli alii rationi, quam ipſi humorum effuſioni, ſuppuratione facta, adſcribere poſſum: quales autem humores effundantur in tali caſu, per exeſam corneam, diſputatur apud autores: plerique Aqueum & Vitreum hanc effuſionem ſubire autumant, non æque autem Cryſtallinum, quamvis & hunc effuſum fuiſſe in forma, apud *Felicem Platerum in obſervationibus* maxime notabili exemplo legimus, his fere verbis: *Vitriarius quidam cum Peſte laboraret, inter alia Symptomata, capitis dolore vehementi atque Ophthalmia afficiebatur, quæ adeo invaluit, ut in tumorem oculo elevato, ſuppuratoque, Cryſtallinus humor una cum aliis humoribus, ſubito ex oculis erumperet, & in barbam illius flueret. Quod cum in uno oculo, decimo fere poſt*

primam Peſtis invaſionem die factum eſſet, decimo quarto poſtea, dum in agone mortis eſſet, ex altero quoque eodem modo humores effluxerunt. Mirum ſane tam brevi temporis ſpatio, duram oculi tunicam & craſſam exedi potuiſſe.

Huic de Morbis æſtivis relationi non incongrue annectentur duæ feliciores, *valde periculoſorum per ſclopeta inflictorum vulnerum* curationes, quorum altera in quodam Gallicæ nationis Colonello, altera in Ephebo Regio cum admiratione omnium, qui læſiones has enormes viderant, peractæ fuerunt. Primam quod attinet, originem illa ducebat ex duello, quod dictus jam Colonellus cum Generali Exercitus Regii pedeſter ſclopetis manuariis decertando, expediundum habebat, in quem finem ambo cum arbitris ſelectis, in loco tria milliaria Warſavia diſtante, convenerant: Generalis præmature fere, dum viginti circiter paſſuum adhuc ab antagoniſta diſtantia abeſſet, ſclopetum ſuum exploſerat, aſt adeo quidem felici ſucceſſu, ut Colonellum inter adeundum hinc inde corpore pro meliori ſecuritate, vagantem, immediate ſub dextra axilla dorſum verſus globulo trajiceret, quo facto Colonellus protinus ad terram poſterioribus inſidendo, ruebat, cum virium proſtratione adeo ſubitanea, ut ope aliorum a terra elevatus ex arena deportari pro deligatione vulneris neceſſe haberet. Poſtquam autem eadem adhuc veſpera Warſaviam in rheda translatus fuiſſet, inter viſitationem vulneris obſervabant Chirurgi, globulum tres palmas transverſas a ſpina dorſi verſus ſubaxillarem cavitatem, & duas palmas a ſummitate humeri, ſtatim ſub angulo inferiori ſcapulæ dextræ, quem plumbum etiam in tranſitu tetigerat, obliquo curſu tranſiiſſe, ſimul autem & duæ coſtæ ex veris, quarta forte & quinta a ſuperiori loco numerandi facto principio, altera in ſuperiori, altera autem in inferiori margine vel labio læſæ & hinc inde contuſæ fuerant: quo in loco autem fixus fuerit globulus, neque tunc inter viſitandum, neque un-

unquam poſtea explorari potuit, maxima licet adhibita diligentia: & quamvis quorundam ex Chirurgis conjectura fuerit, in vertebras ſpinæ dorſi ejectum fuiſſe ibidemque infixum hærere globulum, nunquam tamen apud me huic conjecturæ locum dedi, propter inſignem ligamentorum ac tendinum concurſum, qui maxime ſenſibilem præ cæteris facit hunc locum, & ex cujus læſione convulſiones aliaque longe periculoſiſſima & evidentia ſymptomata ſequi in confeſſo eſt apud omnes Anatomicæ ſcientiæ probe gnaros, quorum accidentium autem per totum curationis tempus nullum unquam læſus dedit ſignum, imo curatione etiam finita, nullam penitus inter motitationem & incurvationem vel flexuram ſpinæ ſenſit difficultatem, Unde perſuaſus fere fui, globulum, poſtquam coſtas tranſeundo, in ipſum pectoris cavitatem penetravit, alicubi reſediſſe placide, præcipue, cum propter longinquiorem lædentis diſtantiam robur amiſerit, atque præterea læſus primis tribus vel quatuor ſeptimanis de pondere quodam ac gravitatis ſenſu in dextro latere conqueſtus fuerit. Ægrotus interim durante viſitatione per exploratoria, uti & per totum curationis tempus, ſingularem ac penitus mirandam manifeſtavit conſtantiam juxta & patientiam, & nunquam fere clamantem hunc quis noſtrum audivit, aut geſtibus animo dejectum vidit. Symptomata præcipua, in hoc ex vulnere affectu, erant, ab initio tuſſis cum rejectione ſpumoſi ſanguinis & allegato jam ſenſu moleſto ponderis in cavitate pectoris dextri illius lateris, atque totali tunc motus dextri brachii abolitione, quibus quarta a vulneratione die acceſſit febris vulneraria cum ſiti, æſtu enormi & agrypnia. Tali in ſtatu quotidie ad tertiam ſeptimanam usque, vitæ ſuæ finem imminere vidimus, præſertim cum inflammatio circa partes læſas continuo creſceret, ipſaque vulneris apertura non ſatis pro extrahendis a contuſis coſtis & ſcapulæ angulo feſtucis, pateret, adeo, ut illam bis ad minimum

nimum incisione facta dilatare necesse fuerit, eaque ultima tantam ægrotans pateretur hæmorrhagiam, quam per aliquot horarum decursum vix ac ne vix quidem compescere erat integrum, superveniente simul in hoc statu aliquoties Lipothymia, & labiis vulneris die sequente siccioribus ac lividis penitus comparentibus, quæ omnia simul sumpta supremum imminere diem clare indicabant. His non obstantibus hæc vulneratio per duos Medicos & quatuor Chirurgos adeo tractata fuit feliciter, ut post sex hebdomadum decursum extra periculum, & post tres menses in statu esset æger in publicum prodeundi. Medicamenta interna quod attinet hic usurpata, præter Ptisanam consuetam pro potu ordinario propositam, decoctum rubiæ tinctorum addito aceto vini & syrupo Capillor. Veneris vel Rub. Idæi, præterea propter tussis vehementiam, Pilulæ de Styrace communes, per totam curam optimum tulerunt auxilium: nam id quod præterea ex medicamentis absorbentibus, diaphoreticis tamquam vulgarissimis adhibitum fuit, lubens prætereo. Subjectum ipsum vir erat supra quinquagesimum ætatis annum positus, antea frequentius affectibus pectoris, tussi puta & raucedini obnoxius, præterea etiam vulneribus in brachio præsertim alias læsus: post finitam curam tussis illa habitualis fere, penitus decessit, corporis autem habitus mirum ipsi cum vegetiori valetudine auctus fuit: aperta etiam fuit aliquoties post ipsius convalescentiam vulneris cicatrix, protrusis denuo aliquot festucis, ast sine omni periculo vel insigniori molestia.

Ephebum Regium quod attinet, de quo promissa jam relatio inserenda est, erat ipse natione Polonus, viginti annorum juvenis, procerioris staturæ, robusti & torosi habitus, temperamenti fortassis Cholerici maximam partem, & propter minus pacatam mentem, rixis fere continuo ac dissidiis distractus. Hic prima *Septembris* hujus anni a Vexillifero mili-

militiæ Prætorianæ insultatus, sclopeto exploso, brachio sinistro diffracto, vulnerabatur. Globulus quo trajectum erat brachium, unam unciam cum dimidia pondere æquabat fere, & ossis humeri medium transiverat, una secum partem hujus ad medullam usque, duorum pollicum magnitudine auferens, quam ossis humeri particulam Chirurgus in prima statim deligatione ex vulnere extraxit. In hac vulneratione, quæ propter insignem contusionem & ipsius medullæ læsionem satis erat extraordinaria & periculosa, hoc uti singulare quid annotavi, quod per totum tempus decubitus æger, non obstante magna satis inflammatione, nunquam veram febrim vulnerariam passus fuerit. Symptomata præcipua quibus affectus erat interim, in solis fere doloribus, priores novem noctes insomnes efficientibus, atque in molesta alvi constipatione, consistebant. Non prætereundum quidem & hoc, quod singulari cura & medicamentis selectis & non avara manu applicatis hic actum fuerit; siquidem a prima statim vulnerationis die, febri inflammatoriæ pro viribus prospectum fuit: præcipue pro defensione ab inflammatione, Chirurgum, applicando Spiritum Vini Camphoratum, liberalissimum fuisse memini; certissime enim per priores tres septimanas continuas, in singulis deligationibus plus quam dimidia Ollæ quarta vel libra una civilis ponderis, pro compressis & fasciis irrigandis effusa constanter fuit. Hoc non obstante in alio subjecto, præsente tanta contusione cum inflammatione maxima, febris vulneraria non defecisset extraordinaria; qua propter hanc ab ordinaria observatione exceptionem, maximam partem optimæ & satis puræ humorum mixturæ & crasi, in acceptis ferendam fuisse judico. Felicissime igitur hoc modo curatus fuit, siquidem medio Octobris mensis jam callum sufficientem habuimus in parte læsa humeri, & quarta septimana, a calli excrescentia numerando, ut ex lecto surgeret ipsi permisimus. Die prima

ma Decembris jam exibat, & brevi poſt bene valens ad ſuos peregre profectus eſt.

Transeundum jam ad *Autumnales Obſervationes.* Prout autem jam ſub æſtatis finem, *menſe Septembris*, calor extraordinarius & æſtuoſus, per imbres continuos & ventos ſeptentrionales penitus profligatus fuerat, ita pluvioſa hæc tempeſtas per *Octobris* medium dies quatuordecim continuabat ſtrenue per intervalla, & ventorum ex ſeptentrione & occidente ſpirantium vis, aërem jam valde aſperum efficiebat, ac frigidum. *Menſe Novembris* autem nives jam ſatis effuſas, cum glacie Viſtulam turbante, per continuos ex Aquilone & Favonio mixtos ventos producta, obſervavimus, quæ rigidior aëris conſtitutio, die ſexta ejusdem per procellam impetuoſisſimam augebatur. Et hanc ex frigore & nivibus compoſitam aëris conſtitutionem experti fuimus continuam usque ad decimam *Decembris*, quo tempore via trahis propter ſufficientem nivis copiam, jam apta erat. Poſt dictam decimam *Decembris*, frigus adeo quidem frangebatur, per continuos ex meridionali ſaltem & occidentali plaga ventos, nives & glaciem fundentes penitus, ut ſub hujus menſis finem hortulani iterum terram effodere & ad ſementem præparare potuerint. Die ſecunda & tertia *Decembris* denuo procella ex occidentali utplurimum plaga oriunda ſæviebat. Quamvis igitur ſecundum vulgarem obſervationem, tam ſubita ab uno extremo ad alterum, ab æſtu inſigni ad frigus intenſum, mutatio, multos & extraordinarios morbos poſt ſe trahere debuiſſet, nihil tamen ſingulare, morbos ſporadicos & epidemicos quod attinet, tunc obſervare licuit, ſi *febres Intermittentes & Catarrhales cum tumoribus tonſillarum & tuſſi* ſtipatas excipio, qui tamen nec gravitate nec periculo multum nocebant. Quapropter etiam relationi horum affectuum ſuperſedendum, ex adverſo autem notatu dignas obſervationes quasdam, aliorum affectuum cum aëris conſtitutione

tione nullam fere connexionem habentium, hic proponere integrum erit.

Ante omnia autem ex promiſſo funeſtus affectus illius, quo coquus quidam primarius Aulæ noſtræ laboravit, & cujus ſupra mentionem jam fecimus, exitus memorandus erit. Sciendum igitur, quod *abſceſſus Venereus teſticuli ſiniſtri* usque ad menſem Octobris ægrotantem illum male habuerit, juncta ut fieri ſolet febre lenta, continuo & acerrimo loci affecti dolore, & agrypniis perpetuis: Chirurgum interim excreſcentia illa lardoſa, quam teſticulus ſcirrhoſus extrudebat in infinitum, & quæ nil niſi Mercurialia ſeptica pro mitigatione admittebat, mirum quantum fatigavit: licet enim poſt applicata illa ſeptica ſemper lardoſum illud ſeparatum viderit, novus nihilominus quotidie ejusdem excreſcentiæ propullulabat proventus, ita, ut pro præſumptiva ægrotantis reſtitutione, nil præter exſectionem ipſius teſticuli, nobis reliquum eſſet: hæc operatio chirurgica, non ſimulato tamen ingenti periculo, ipſi ſubeundo, præſertim cum corpus ex febre lenta jam valde quoad humores corruptum & exhauſtum eſſet, ægrotanti fuit propoſita: & quia miſer reconvaleſcentiæ tenuem ſpem, periculo præferebat evidenti, ac doloribus continuis, ex tumore & abſceſſu fere cancroſo oriundis, imparem ſe amplius crederet, ad ſuſtinendam teſticuli exſectionem, ſuam declaravit promptitudinem, quam Chirurgus Regius, nuper ex Gallia redux, manu aptiſſima & ſatis quoad hunc actum feliciter, executus fuit. Primis quatuor ab operatione diebus omnia ſuccedebant ad votum, vulnus recentem ſemper & vividum præ ſe ferebat exſtillantem ſanguinem, & nullum hactenus a febre vulneraria incommodum, cujus inſultum graviorem, inſtituta ſtatim poſt operationem venæſectione, declinare ſatagebat dictus Chirurgus. Die ſexta autem ſequente, ex improviſo circa veſperam de dolore ſpaſmodico in cervice conque-

ri cœpit æger, quo ſingulis fere horis magis aucto, *Opiſthotoni ſpecies cum ſpaſmo oris cynico* tandem ſequebatur, adeo ut dentes diducere amplius nequiverit, & cervice penitus reſupinata & fracta quaſi, decumbere neceſſe habuerit: hanc miſeriam tandem convulſionibus univerſalibus ſupervenientibus finiebat mors ab ipſo optata, ſecundum prognoſticon.

Inter affectus rariores non immerito etiam refero, pincernæ, Miniſtro Regio cuidam inſervientis morbum, viri quadraginta circiter annorum, ſiccioris & macilenti corporis habitus, qui a longo jam tempore *difficultate mejendi doloroſa*, die noctuque continuo moleſta, laboraverat: gratus alias Domino ſuo propter fidelitatem ſervus, & temperantiæ deditus: qui autem præcedente tempore in juventute ſua, Gonorrhœa nonnunquam ſe affectum fuiſſe, fatebatur, quamvis hujus fluxus & morbi, pro nunc, nullum appareret amplius veſtigium. Multis jam Medicis eisque præcipuis Dreſdæ, ad Heri ſui inſtantiam, uſus fuerat, aſt irrito omni conatu. Die vigeſimo ſeptimo Octobris igitur ad me veniebat, poſtquam Patronus ſuus, pro aptiori cura, manſionem ipſi & ſuſtentationem in loco commodo procurari juſſerat. Primo quidem propter continuum mejendi conatum, & ſuppreſſionem frequentiorem lotii cum ſenſu ponderis & doloris circa pectinem, Calculo Veſicæ laborare hunc virum pene perſuaſus fui, quapropter etiam explorationem per inſtrumentum conſuetum inſtituere volui, quam autem ex metu doloris præſumptive intolerabilis, nullo modo admittere, citius autem mortem expectare voluit: tandem tamen magna cum difficultate catheterem flexilem applicari ſibi permiſit, quo immiſſo impedimentum aliquod circa finem Urethræ ſe manifeſtavit: hac re experta, alium ex cerato linteo paratum & Mercurialibus illitum catheterem, pro reſiſtentia illa quam pro carunculæ

ſpecie

ſpecie habuimus, extirpanda, & canali Urethræ amplificando intrúſimus; ordinata ſimul interim emulſione ex Sem. Violar., Lithoſpermi, pulvere gemmato Volkameri, teſtis ovorum calcinatis parata, & pro potu frequentiori Infuſo ex ſpeciebus pro Decocto Nephritico Foreſti &c. hoc facto liberior ſtatim fiebat urinæ excretio, ſimulque cum urina multum ſanguine & purulenta materia mixti muci exibat, qui in conſiſtentia gluten ſpiſſius coctum, quo arcularii ordinarie utuntur, præ ſe ferebat, & hic quidem in tanta quantitate ſecedebat, ut plus quam dimidia ollæ quarta, vel libra una communis ponderis, per 24 horarum ſpatium excerneretur; mucus autem hic ſemper brevi poſt urinam miſſam, in matula cadebat ad fundum, adeo gravis & glutinoſus, ut vaſis fundo, effuſa prius clara illa urina, adhæreret pertinacius: durante hujus muci glutinoſi excretione, quæ per duas ad minimum ſeptimanas continuabat ſtrenue, dolor inter mejendum etiam perſiſtebat adhuc, moleſtus, aſt non cum tali ut antea vehementia: die Novembris decima quinta, purgationem ordinavi ex Caſſiæ fiſtulæ extracto; Mercurio dulci & reſina jalappæ acuato, copioſis inde ſecutis dejectionibus, quibus non obſtantibus, excretio materiæ glutinoſæ & purulentæ adhuc dum continuabat, in parciori tamen quantitate. Inſiſtebam igitur uſui dictæ emulſionis diureticæ & Infuſi ordinati, interpoſito ter vel quater adhuc dicto jam purgante, eo quidem ſucceſſu, ut exeretio viſcidæ & purulentæ materiæ penitus ceſſaret, ægrotus autem in ſtatu eſſet ſervitia conſueta in domo Patroni ſui continuandi, licet ſtranguria penitus abigi pro tempore illo non potuerit, quæ tamen poſtea, ordinato pro itinere, quia medio Decembris in Saxoniam cum Hero ſuo proficiſcebatur, balſamico remedio, ex tinctura Tartari cum balſ. Peruviano nigro & Copayva, concinnato, profligata etiam & curata fuit perfecte.

Die 18. *Novembris* valde tragicus eveniebat casus, quendam ex Aula nostra, qui stabulo Regio inserviebat, feriens; auriga nimirum una cum uxore & quatuor annorum puello, valde angustum inhabitabat hypocaustum domunculæ cujusdam ad suburbium Cracoviense pertinentis: in hoc hypocausto, præter fornaculam, quam non nisi intra ipsum conclave accendere licebat, erat etiam parvus focus sub camino, in hoc foculo uxor ipsius, accensis carbonibus ligneis, obsonium aliquod calefecerat, & antequam lectum peterent ipsa cum marito, foramen illud ex foculo in caminum patens, ferrea ut fieri solet lamina, obturaverat, ne calor tam facile ex hypocausto abscederet: hoc facto, omnes tres pater, mater & filiolus in uno eodemque componunt se lecto ad quietem, atque ita insimul obdormiunt; carbones autem, quia nondum penitus extincti, arsenicales exhalationes de se spargunt solito copiosiores, & fumo nimium in angulo hoc suppresso, miseros altum dormientes strangulant: maritum in suffocatione hac aliquid sensisse, ad se autem redire non potuisse & præ summa anxietate ex lecto in terram se provolvisse, puerulum secum abripiendo, inde manifestum erat, quod ambos in pavimentum prostratos invenimus, postquam mane unus ex sociis suis januam effregerat, cum post pulsas vehementer fores, nemo aperire voluisset. Atque in tali situatione horrenda, ipse ego corpora illa vidi, accersitus ad uxorem sine motu & sensu in lecto adhuc jacentem: examinati autem illi hinc inde lividi erant & spumam ante os habebant, ex epileptico vel strangulatorio affectu superstitem. Uxori defuncti statim vena brachii incisa & sanguis ad aliquot uncias extractus, applicatis simul naribus fortissimis volatilibus, quæ non nisi post horæ integræ decursum tantum efficiebant, ut paulatim ad se rediret: post hæc autem aliis & præsertim Ammoniacalibus medicamentis interne in usum tractis, penitus fuit restituta in hunc usque diem recte valens. Hic

casus

casus toti Warsaviæ præjudicium afferre potuisset maximæ consequentiæ, quia hoc tempore omnes subitaneæ mortes, propter Contagium Pestilentiale Leopoli vigens, maxime erant suspectæ; communicatio autem ex his locis cum Warsavia declinari non posset, propter Comitia, quæ tunc Warsaviæ celebrabantur generalia: omnis tamen male fundata suspicio, per relationem accuratam totius tragœdiæ, cum Magistratu Warsaviensi communicatam, facile diluebatur, quam eundem in finem Vratislaviam transmittere Consuli Warsaviensi per speciale mandatum Regium injunctum fuit.

Eodem fere tempore coqui alicujus Regii uxor, quadraginta fere annorum, obesula, breviorisque corporis staturæ, quæ ante semestre menstruationem alias copiosam valde, perdiderat, me accessit. Ac licet brevi post hanc metamorphosin, sanguinem ex mediana misisset, nihilominus ex cessatione mensium illa subitanea, in cephalæam cum obstructione narium, atque hinc dependentem difficilem respirationem, ac simul *Vertiginis* speciem aliquam incidit, quæ symptomata per quatuor menses integros miseram exercebant strenue: Vertigo ipsius in hoc monstrosi aliquid præ se ferebat, quod, quotiescunque hac prehenderetur, (accidebat autem sæpius inter movendum, licet etiam gressus aliquot per conclavis longitudinem facere tentaret saltem,) capite prono statim ex improviso in terram ubicunque vel stabat aut ambulabat, rueret, pronaque illa cum capite præcipitatio adeo ipsi erat habitualis, ut, si forte prope fenestram staret, eodem modo prono capite in hanc rueret, vitra simul effringendo, ac seipsam hoc modo vulnerando non semel. Hæc tragœdia per aliquot septimanas agebatur continuo, & præter vertiginem illam curiosam, utriusque naris obstructio pertinacissima miseræ valde erat molesta, cum etiam mixturam ex Errhinis aquis cum Vitrioli albi tantillo, pro scopo aperiendi has vias, ordinarem, hac in usum tracta magnum

quidem sentiebat levamen, simul autem cum squalido & glutinoso muco, parvos excernebat ex naso vermiculos Ascaridibus non dissimiles, nigricantibus capitulis aut rostellis instructos: hoc non obstante auxilio, obstructio semper recurrebat, ac licet interea per Venæsectionem, Resolventia, Volatilia, Antepileptica & Antidinica omnem pro curatione ejus moverem lapidem, die septima Decembris tamen moriebatur instar Apoplecticæ.

Nec omittendam esse hic duco observationem apud puerperam viginti circiter annorum vietoris Regii uxorem, factam: hæc tertio vel quarto post partum satis felicem die, lectum intempestive reliquerat, amicis, quos convivio post baptismum infantis, exceperant, inservitura: hoc facto statim *Lochiorum obstructionem* sentiebat, ita ut simul & semel subsisterent, juncta simul febre continua, cum magnis præcordiorum anxietatibus, delirio & purpura: leniora Bezoartica cum aperientibus & resolventibus pro Lochiis pellendis ac restituendis, uti decet, data fuerunt, ast frustra, symptomatis quotidie fere auctis: collato igitur cum alio Medico consilio, venæsectionem proposui ex pede, ut unicum fere & certissimum in tali casu remedium; quæ etiam, non obstante purpura contra indicante, celebrata fuit in instanti, adeo quidem felici atque exoptato successu, ut statim facta hac, magnum & evidentissimum ratione æstus febrilis aliorumque symptomatum sentiret solatium, exceptis uteri purgationibus suppresſis, quæ nondum ordinarium cursum obtinere poterant: continuabatur igitur in usu leniorum Bezoarticorum, additis Nitrosis & aperientibus ex Tartareorum genere, quibus diligenter usurpatis, die sexta decubitus superveniebat diarrhœa & simul cum ipsa aquæ sanguinolentæ, instar loturæ carnium, excretio, ita quidem, ut in hac puerpera, rariori exemplo, lochiorum fluxus & evacuatio per alvum sequeretur, inverso naturæ cursu. Ipsa autem post paucos hinc

hinc dies, citra omne lochiorum per ordinariam viam vestigium, sanitati restituebatur integræ.

Hac occasione dum delirii ex Lochiorum suppressione nati, mentio facta fuit, in mentem mihi incidit, quod *Sydenham in Dissert. Epist. ad Guilielm. Cole de Affect. Hyster. p.* 484. *Edit. Hollandicæ*, meminit, quod scilicet multæ fœminæ puerperæ in Anglia, dum paucis a partu diebus surgunt, & se a lecto aliquandiu abstinent, statim lochiorum suppressionem patiantur, cum longa symptomatum serie, quæ, nisi permagna tam diligentia quam in medendo peritia intercedat, ægram brevi perimunt: *Nonnunquam enim Phrenesi laborant*, pergit, *ex hac occasione, quæ indies efficacior reddita, spasmos primum, dein mortem affert: si vero mortem evadant, mitius NB. aliquantulum insaniunt, quandoque ad ultimum vitæ terminum. Quam ob rem istis, quæ me audiunt ubique autor sum, ut ad diem saltem decimum usque in lecto se contineant, si modo natura paulo debiliores sint, præcipue si vaporibus, qui vulgo dicuntur, jam pridem fuerint tentatæ.* Hactenus quidem plana & cum nostra observatione congrua Sydenhamii annotatio. Miraberis autem valdopere, dum in lectione hujus Dissertationis pergendo *p.* 487. leges, venæsectionem ex pede in ejusmodi ægra funestum exitum morbi post se traxisse, nullo modo tamen nostræ experientiæ contraria observatione, si consideres, optimum Autorem de tali hic loqui lochiorum suppressione, quæ immanes passiones Hystericas præter corporis refrigerium, pro fundamento habet: nam & alias Practicis exercitatis, in omni passione Hysterica venæsectionem methodo ordinaria minus habere locum, constat.

Tantum.

* * *

Corrigenda:

Pag. 3. lin. 1. Halledanum, lege Halleyanum.

pag. 8. lin. 12. Prochophylacium, lege Pulveris Pyrii Receptaculum: Irrepſit enim egregius hic Idiotiſmus, ex communiſſimo Warſavienſium loquendi modo, quo à Literatis æque ac in Scholis Turris illa, qua pulvis tormentarius conſervatur, Prochophylacium, à Polonico *Proch*, quod pulverem exprimit pyrium, & Græco φυλακεῖον, ordinariè appellatur.

pag. 56. lin. 26. Carpthicorum, lege Carpathicorum.

pag. 61. lin. 22. D. Moſano Epiſcopo quodam, lege D. Moſano, Archiatro Caſſellano.

pag. 184. lin. 21. Gankes, lege Gankes.

* * *

~~De~~ Varsaviæ mentio. Papr. herby. 313. a. 1224
ib. 276. a. 1241.
Woyciech Jastrzębiec turniadał 1393. Papr. ib. 89
Rudawski 177. powiada 1655; że Warszawa
miała 200,000. dusz